F. JOSEPHI-ARCHANGELI
A FRACTA MAJORI
ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM

SACRÆ THEOLOGIÆ

SYNOPSIS

AD USUM

CLERICORUM ORDINANDORUM

IN HAC SECUNDA EDITIONE

Diligentius recognita, multisque additionibus aucta, atque illustrata, ita ut non amplius SYNOPSIS dici debeat, sed

SACRAE THEOLOGIAE

DOGMATICO=SCHOLASTICÆ

CURSUS

Plana facilique Methodo concinnatus, ad usum Scholarum, omniumque Studentium commodum

TOMUS II.

CONTINENS TRACTATUS

I. DE ROM. PONTIF. ETC.
II. DE STATU MORTUOR. ET RESURGENT.
III. DE INDULGENTIIS
IV. DE EXTERIORI DEI CULTU
V. DE MEDIAT. CHRISTI ETC.

NEAPOLI MDCCCXXXI.
EX TYPOGRAPHIA Jo: RUSCONI
Via S. *Annae Lombardorum* N°. 37.

Superiorum Facultate.

TRACTATUS I.

De Romano Pontifice, Conciliis, ac reliquis Theologicis Locis.

§. 1. Completo Redemptionis humanae opere, Christus Dominus ascensurus in Coelum, cum dilexisset Ecclesiam, in finem dilexit eam. Etsi propterea omnem ei auxilium promississet, quo obsistentibus licet Inferi portis, usque ad finem Mundi salva, et firma consisteret, tamen quoniam ipsa visibilis est, et visibiliter regi debet, ne suo abscessu, viduata visibili sposo, et capite orbata remaneret, constituto illius Primate, et Capite Petro, super illum, eam, veluti supra firmissimam petram, ædificavit. Quod quidem quanto studio, quantaque cordis effusione fecerit, vel ex eo patet, quod traditurus Petro hanc suam Ecclesiam, iterum ac tertio illum interrogavit, an ipsum ex toto corde, et sincere plus omnibus aliis discipulis diligeret. Petrus itaque Ecclesiæ Primatum a Christo acceptum tenuit, rexitque sibi oves concreditas; quo decedente et alius suffectus fuit, sicque deinceps usque ad præsentem diem. At Hæretici, Wiclefus præsertim, Lutherus, Calvinus, pro suo quoque exasperato genio in Ecclesiam, et ejus Caput, quas blasphemias ex infernali ore adversus Pontificem non proferunt? Quot cachinnis S. Sedem non excipiunt? Unde ut os obstruatur loquentium iniqua, Petri Primatum super alios Apostolos in Ecclesiæ regimine, et quæ de Romano Pontifice ejus successore, scienda sunt, distinctis Capitibus, exponemus, et vindicabimus

CAPUT I.

De S. Petri primatu in universam Ecclesiam.

§. 2. *Def.* 1. *Primatus*, hic, *nihil aliud est, quam principatus, superioritas, atque praelatio, quam quis habet in universam Ecclesiam Jesu Christi.* Atque duplex est, *honoris* nempe, et *Jurisdictionis.*

§. 3. *Def.* 2. *Primatus honoris est ille, quo aliquis inter alios aequales primum quidem locum obtinet, sed nullam auctoritatem.*

§. 4. *Def.* 3. *Primatus vero jurisdictionis est ille, quo aliquis auctoritate, et potestate aliis superior constituitur.* Nam.

§. 5. *Def.* 4. *Jurisdictio est potestas, atque facultas jurisdicundi, hoc est legibus gubernandi, atque justitiam ministrandi.*

§. 6. *Schol.* Porro Ecclesiae Primatus duplex distinguitur, *supremus* nempe, *essentialis*, atque *invisibilis*, et *ministerialis*, *visibilis* et *externus.* Primatem primi generis esse Jesum Christum Dei Filium patet ex Apostolo ad Ephes: (C. 1. v. 22.), qui scribit, quod Deus *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam. Quae est corpus ejus*; et ad Colossenses, quibus (Cap: 1. v. 18.), ait: *Et ipse est Caput corporis Ecclesiæ . . . ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* Secundi vero generis Primatem esse Romanum Pontificem Catholici omnes uno ore fatentur; At

Hæreticorum variæ sunt sententiæ.

§. 7. Marsilius Patavinus inter alia, quae insipienter non minus, quam haeretice docuit, asserere non dubitavit, S. Petrum non accepisse a Christo Domino plus auctoritatis, quam habuerint reliqui Apostoli Idipsum docuit Joannes Jandunus Patria Perusinus:

praedicti Marsilii assecla, qui et insuper ex eodem adjecit, Christum ascendentem in Caelis, nullum in Ecclesia visibile Caput constituisse, nullumque Vicarium reliquisset. Brentius vero, Principes Saeculares esse in propriis Regionibus Ecclesiae Capita effutiit; ex quo vir effrons deducere non dubitavit, Episcopos esse Regum mancipia. Calvinus asserit, S. Petrum numquam fuisse a Christo Domino aliis Apostolis superiorem effectum, sed parem cum illis potestatem habuisse. Neque ab eo dissentire videtur Lutherus, qui Pontificium regimen clavum Babilonicum nuncupat. Nec defuere, qui dixerint S. Petrum, et Paulum ambo fuisse Ecclesiæ capita, ambo Principes regiminis, ambo Universalis Ecclesiae pastores. Sed quam isti; quam alii omnes eorum gregales pessime erraverint, ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO

S. Petrus a Christo Domino constitutus fuit totius Ecclesiæ Caput, ita ut in ea Primatum auctoritatis, et jurisdictionis habuerit.

§. 8. Probatur ex Scripturis. Et primo quidem, cum Christus Apostolos interrogasset (Matt: C. XVI. v. 12.), ut sibi narrarent, quem homines dicebant eum esse, atque illi respondissent, alios dicere eum esse Eliam, alios esse Jeremiam, aut unum ex Prophetis; interrogavit postea eos, ut dicerent quid ipsi de se sentirent, statim Petrus respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi*, cui subjunxit Christus . . . . *Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves Regni Cœlorum, et quodcumque ligaveris etc.* Ex quibus, duo potissimum notanda sunt: Primum, Petrum Apostolum præ aliis discipulis a Deo illustratum fuisse ut cognosceret, et

confiteretur Christi divinitatem: id patet maxime ex verbis illis Domini: *Beatus es Simon Barjona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cælis est*; secundum: laudata promissione fundandi super ipsum Ecclesiam, et dandi ei claves Regni Coelorum, Christum voluisse eum, præ aliis, in Primatu distinguere. Promissio namque isthæc Christi fuit præmium quod Petrus obtinuit de sua confessione, juxta D. Hieronymum dicentem (In hunc loc.): *mercedem recepit vera confessio*. Quibus positis et notatis, en argumentum: Ille a Jesu Christo totius Ecclesiæ caput, et Primas super omnes quoque alios Apostolos constitutus fuit, qui fuit ab eo declaratus peculiare fundamentum, et fulcrum Ecclesiæ, ab eo recepit claves Ecclesiæ, et Regni Cœlorum; idque in præmium suæ Fidei, et confessionis; Atqui talis est, ex dictis; S. Petrus ergo etc. Secundo, Christus coram omnibus aliis Apostolis, Petrum ter nominatim interrogavit, an ipsum amore plus cæteris prosequeretur; respondente Petro, se eum vere amare, Christus singulis responsionibus subjunxit: *pasce agnos meos, pasce oves meas*. Ex quibus sic argumentor. Christus jam sicuti cæteris Apostolis, ita et Petro potestatem dederat jurisdictionis in Ecclesia, eosque dixerat se mittere sicut ipse a Patre missus fuerat, si ergo nihil peculiare Petro, ut Petro concedere volebat, quid opus fuit eum peculiariter de amore interrogare, et ita impense ei præscribere ut suas oves, suosque agnos pasceret? Atqui taliter se gessit Christus erga S. Petrum; ergo peculiari jure Primatum ei dedit in sua Ecclesia, et supra cæteros quoque Apostolos. Et propterea etc.

§. 9. Probatur 2. ex Patribus. Origenes (In C. VI. ad Rom:) ait: *summam rerum de pascendis ovibus Petro traditam fuisse, et super ipsum, velut super petram fundatam esse Ecclesiam*. S. Cyrillus Alexandrinus (Lib: XII. in Joan.); *Præ aliis*, in-

quit, *emicat ille cœterorum caput, ac Princeps, et ait: Tu es Christus Filii Dei vivi.* S. Ambrosius (In C. ult S. Luc.): *Quod solus*, inquit, *profitetur, omnibus antefertur.* Et alibi (In C. XII. Epist. II. ad Cor.): *Primatum*, inquit, *non accepit Andreas, sed Petrus.* S. Augustinus (Serm: XIII. num. 76. de ver: Dom:) ita scribit: *Petrus*, ait, *a petra cognominatus beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus principatum tenens.* Tandem, ne in longum nimis abeamus, audiatur S. Bernardus, qui (Lib: II. de Consid: Cap: 8.) sic ait: « Cui enim, non dico » Episcoporum, sed Apostolorum, sic absolute, et » indiscerete totae commissæ sunt oves? Si me amas » Petre pasce oves meus: Quas? Illius, vel illius » populos Civitatis, aut certe Regni? Oves meas » inquit. Cui non planum non designasse aliquas, » sed assignasse omnes. Nihil excipitur ubi distin» guitur nihil. Et forte praesentes caeteri condisci» puli erant, cum committens uni, unitatem om» nibus commendaret in uno grege, et in uno pa» store. Ergo etc.

Objecta Hæreticorum solvuntur.

Objic. Ideo asseritur Petrum a Christo fuisse caput totius Ecclesiæ constitutum, quia Christus dixit ei, ut legitur apud S. Matthæum (Cap: XVI. v. 18.): *Tu es Petrus, et super hanc Petram etc.* Atqui hoc nullius est roboris; Ergo falsa propositio. Probatur min. Aliquid roboris ad ostendendum Petri Primatum haberet, quod laudato loco dicitur, si per petram super quam Christus despondit se ædificaturum Ecclesiam, intelligeretur persona Petri; Atqui per petram SS. Patres non intelligunt Petri personam, sed vel fideles omnes, ut vult Origenes (Tract: 1. in Matt:), vel omnes Apostolos, aut Jesum Christum; uti Augustinus (Tract: 124;

in Joan.); vel tandem ipsam fidei confessionem, a S. Petro emissam, uti Hilarius (Lib: VI. de Trin:), Ambrosius (Lib: VI. in Luc:), et Epiphanius (Hæresi 59.); Ergo etc.

§. 11. R. conc. maj., dist. min: Et citati Patres, his interpretationibus negant, ea verba ad Petrum pertinere, nego min., secus, conc. min., et n. consm. Quoties SS. Patres laudata Christi verba explicant, de persona Petri dicta esse fatentur. Sane Origenes de S. Petro loquens (§. 9.): *super ipsum*, ait, *veluti super petram fundatam esse Ecclesiam*; et Augustinus, *Petrum a petra cognominatum esse* asserit. Idipsum patet ex S. Hilario, Chrysostomo, Cyrillo Alexandrino, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Cypriano, Leone Papa, etc. Quod si ad aliud aliquid significandum nomen petræ transferunt, clarum est, eos non velle derogare auctoritati Principis Apostolorum.

§. 12. *Contra.* Atqui per petram, laudato in loco, nec Petrum intelligunt Patres, nec intelligere possunt; Ergo n. r. Prob. subsm. Christus in Scripturis ille est qui dicitur petra, juxta illud Apostoli (I. Cor: X. v. 6.): *Petra autem erat Christus*; ergo per petram etc., alias injuriam Christo facerent; quod esse nequit.

§. 13. R. dist. maj. Christus etc., petra principalis, ita ut excludat quamcumque aliam petram secundariam, n. ant., secus, conc., et nego consm. Christus utique est petra illa firmissima, supra quam primario fundata est Ecclesia, et sine qua, *Fundamentum aliud*, ait Apostolus (I. Cor C. III. v 11.), *nemo ponere potest*, neque potest spirituale ædificium subsistere. At Ecclesia est visibilis, et visibiliter usque ad finem Mundi perdurare debet, et gubernari, unde opus erat visibili capite, et petra, licet post Christum secundaria, quæ basis foret, et fundamentum visibilis Ecclesiæ. Petra igitur, et Ec-

clesiæ fundamentum est Christus, petra quoque, et Ecclesiæ fundamentum est Petrus; hic secundarium, ille primarium; hic fundamentum quidem secundarium, relate ad Christum, sed *fundamentum Ecclesiæ, Primum, et Principem Coetus Apostolorum*, ait Chrysostomus (Lib: 1. adv: eos qui scandalizati sunt), ille vero primarium etiam relate ad Petrum, quem ad suas vices, in Terris gerendas, super Ecclesiam suam elegerat.

§. 14 *Contra*. Ex concessis, Petrus est petra et fundamentum secundarium; Ergo nomen petræ non ita est datum Petro, ut primatum obtinuerit supra cæteros Apostolos. Prob. min. Omnes Apostoli in Sacris literis dicuntur Ecclesiæ fundamenta, secundaria quidem, unde Paulus ad Ephesios scribens, ait (Cap: II. v. 20.): *superædificati super fundamentum Apostolorum, etc.*; Ergo si ex concessis, Petrus est fundamentum secundarium Ecclesiæ, nihil differt ab aliis Apostolis; adeoque nomen petræ etc.

§. 15. R. neg. utramque consm. Quamvis Apostoli recte dicantur et sint Ecclesiae fundamenta, et quia omnes plenitudinis potestatem a Jesu Christo obtinuerunt, et quia Ecclesiam per totum Orbem fundarunt, non ideo dicendum est, Petrum nullum habuisse primatum super eos. Siquidem ascenso Christo in Coelis, sine Capite, cum quo omnes conjugerentur, et a quo ipsi penderent, esse non poterant: Unde, *Licet super omnes Apostolos*, ait S. Hieronymus (Lib: I. adv: Jovin.), *ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidatur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio*. Sunt ergo omnes Apostoli, Ecclesiae fundamenta, non tamen eodem modo ac Petrus, sed post Petrum, sicuti Petrus est Ecclesiae fundamentum, sed post Christum.

§. 16. *Objic:* II. Christus non soli Petro, sed omnibus indiscriminatim Apostolis curam regendi Ec-

clesiam demandavit; Ergo falsa Propositio. Prob: antec: Christus Ecclesiam suam regendam omnibus Apostolis commendavit, dicens aequaliter omnibus (Marci ult.): *Euntes in Mundum universum praedicata Evangelium omni creaturae*; Ergo etc.

§. 17. R. dist: antec: Christus etc: æqualiter omnibus, n. antec:, diverso modo, conc:, et n. consm. Omnibus sane Apostolis præceptum dedit Christus prædicandi Evangelium; eosque misit prædicare Regnum Dei, idest Ecclesiam suam, ideo enim Apostoli dicti sunt, quia fuerunt missi, quippe Apostolus interpretatur *missus*; sed non omnibus aequalem dedit potestatem in regimine Ecclesiae; Petro dedit potestatem et jurisdictionem supra caeteros alios, et Caput Ecclesiae constituit per illa verba (Joan: ult: v. 17.); *pasce oves meas*: *tibi dabo claves Regni Cœlorum* (Matth: XVI. v. 19.), caeteri vero Apostôli, licet in dignitate Apostolatus fuerint Petro aequales, in potestate vero Ecclesiam universalem gubernandi, inferiores fuerunt.

§. 18. *Contra.* Atqui Christus Dominus aequaliter omnibus Apostolis curam regendi Ecclesiam demandavit; Ergo n. r. Prob: subsm. Christus Dominus aequaliter misit Apostolos, dicens (Joann. XX. v. 21.): *Sicut misit me Pater*, *et ergo mitto vos*; Ergo etc.

§. 17. R. Laudata Christi verba apud Joannem nihil faciunt adversus S. Petri primatum. Etenim illud *sicut* non est accipiendum quasi aequalitatem importet; alias sicût Christus missus fuit a Patre ut nostrum sacrificium, et Sacramenta institueret, id etiam Apostoli facere debuissent, quod nemo, nisi insipiens dicere poterit, sed est accipiendum secundum habilem proportionem, quae stat in hoc, quod sicut Christus fuit missus ad novae Fidei veritatem dandam, ad novam fundandam Ecclesiam, ad passiones, et tormenta sustinenda; ita a Christo missi fuerunt A-

postoli ut acceptam Revelationem publicarent, Ecclesiam ab eo fundatam propagarent, et Sacramenta per ipsum instituta ministrarent. Caeterum, licet Apostoli per ea verba aequalem extraordinariam potestatem receperint, attamen postea Christus, ut unitatem Ecclesiae manifestaret, Petrum caeteris praefecit, verbis illis: *Pasce agnos meos*: *pasce oves meas*; ita ut etiamsi prius per illa verba: *Sicut misit me Pater mitto vos*, fuissent omnes Apostoli aequales potestate inter se, per illa vero alia verba dicta Petro specialiter: *Pasce agnos meos etc.*, Petrus primatum inter eos obtinuit. Audiatur de hac re S. Cyprianus, qui (Lib: de unit. Eccl.) ita loquitur: « Dominus » ad Petrum. . . . Tu es Petrus. . . . et tibi dabo » claves. Et quamvis Apostolis omnibus post resur» rectionem suam parem potestatem tribuat . . . ta» men ut unitatem manifestaret, unam Cathedram » instituit, et unitatis ejusdem originem ab uno in» cipientem sua auctoritate disposuit.

§. 20. *Contra*. Atqui nec etiam per laudata verba: *Pasce agnos meos*, dicta peculiariter Petro, Primatum Petrus obtinuit; Ergo a capite argumentum. Prob: subsm. Et ne argumentum credatur in nostro cerebro phantastice elabortatum, audiatur S. Doctor Augustinus, qui (Lib: de agone Christ. C. 30.) sic inquit. « Cum ei, (*nempe Petro*), dicitur, ad » omnes dicitur, *Amas me*, *pasce oves meas*. » Itaque ex mente Augustini; laudata verba, non soli Petro, sed omnibus aliis Apostolis dicta fuerunt; Adeoque etc:

§. 21. R. admitt: auct: , n. consm. S. Doctor laudato in loco, et recitatis verbis, non vult indicare, omnibus aeque dictum esse Apostolis, quod Petro singulariter dixerat Christus: *Amas me*, *pasce agnos meos*, quasi omnes Apostoli forent pares S. Petro in potestate, Ecclesiam universalem gubernandi, sed *omnibus* dixit, Ecclesiam intelligens, cujus Petrus constitutus

erat visibile Caput, et tunc personam gerebat. Audiatur textus integer S. Doctoris; « Non sine causa, *ait*, inter omnes Apostolos hujus Ecclesiae Catho-» licae personam sustinet Petrus: huic enim claves » Ecclesiae datae sunt. Et cum ei dicitur, ad om-» nes dicitur; *Amas me*, *pasce oves meas*, ». Quid ergo ex hoc testimonio, quod eis faveat, deducere possunt adversarii? (1).

§. 22. Quaeres. *Utrum S. Petro privilegium concessum fuerit infallibilitatis in Controversiis fidei, et morum?*

§. 23. R. aff. Nam 1. D. Petrus constitutus fuit a Deo Pastor fidelium juxta cor suum: Ergo ut bonus Pastor debebat sedulo fideles pascere scientia, et sana doctrina; Atqui nisi privilegium infallibilitatis obtinuisset, id nunquam potuisset praestare: ergo Petrus etc. Deinde dixit Christus (§. 8.), se super Petrum, veluti supra firmissimam petram, ædificaturum Ecclesiam suam, ita ut Inferi portæ nunquam fuissent adversus eam prævaliturae, seque illi traditurum claves Regni Caelorum, adeo ut quaecumque ille ligasset super terram, ipse ligaturus foret in Coelis, et quodcumque retinuisset, ipse quoque esset retenturus; Atqui si Christus Petro infallibitatem non concessisset, non esset ille petra firmissima, sed debilis; portae Inferi praevalere possent contra Ecclesiam; nec fieri posset, ut quod vel solvisset, vel ligasset Petrus, ita quoque haberetur in Cœlis; Ergo etc. Et sane, idem est fundamentum in aedificio, ac Petrus in Ecclesia; sicuti ergo si fundamentum est debile, non

(1) *Vid.* Bellarm *Contr. III. Lib. I. Cap. 10.* Franc. Henno *Tom. I. Tract. II. Disp. 2. quæst. 4. art. 1.* Tournely *Tom. V. quæst. V. art. 1.* Antoine *Tom. I. Cap. V. art. 1.* Suarez. *Tract. I. de fide Theolog. Disp. X. sect. I.* Boucat *Tom. V. Dissert. de Summ. Pont. art. 2.*

diu subsistit aedificium, ita si Petrus fuisset fallibilis in doctrina Fidei, et morum, Ecclesia diu non perdurasset. Rursus; Portas Inferi adversus Ecclesiam non praevalere, nihil aliud est, SS. Patrum judicio (S. Hier. Lib. I. in Jovian.), quam tanta divinitus soliditate munitam esse, *ut eam neque hæretica unquam perrumpere pravitas, nec Pagana potuerit superare perfidia;* Atqui si Petrus in controversiis fidei et morum errare potuisset, Ecclesiam hæretica pravitas perrumpere potuisset, et Pagana perfidia superare; Ergo et portæ Inferi contra Ecclesiam prævalere; sed hoc esse nequit; Ergo etc. Tandem si D. Petrus infallibilis non fuisset, potuisset aut solvere quæ retinenda essent, aut retinere quæ debuisset solvere; Aut ergo Deus staret in Cœlis tali judicio Petri, et tunc falsitatem, atque errorem approbaret; aut ei contrairet, et fidelis non esset in suis verbis, et promissis; Atqui utrumque hoc est falsum (§. 55. T. 1.); Ego S. Petro privilegium etc.

CAPUT II.

De suprema potestate Petri ad Romanos Pontifices transmissa.

§. 24. *Animad*: Sicuti Christo in Cœlum abeunti S. Petrus suffectus fuit, et Ecclesiæ gubernium suscepit, atque per plures annos sancte, et laudabiliter tenuit, ita mortuo ipso, alter in ejus locum substitui necesse erat. Neque enim corpus sine capite vivit, neque grex sine pastore salvus est; neque ædificium absque fundamento diu consistere potest; neque ergo Ecclesia sine visibili capite, legitimo Pastore, atque solido fundamento debuit esse relicta. Successor ergo Petro datus fuit ad Ecclesiam regendam: sed quis sit Petri successor, et qui habeat collata illi a Jesu privilegia, Adest

Dissidium Catholicos inter et Haereticos.

§. 25. Nam Lutherus, Calvinus eorumque Asseclae, exasperatò animo quo in Romanam Ecclesiam, ejusque visibile Caput feruntur, per summam injuriam blasphemarunt, Romanae Sedem esse Antichristi sedem, et Romanum Pontificem Antichristum. Ioannes Velsius docuit, Romanum Pontificem, quamvis legitime institutum, non esse Christi Vicarium. Joannes Oldacastelius impie nimis effutire est ausus, Romanum Pontificem esse caput Antichristi, eique non esse obediendum, nisi quatenus in vita fuerit moribus, et conversatione Christi imitator. Dulcinus vero per summam insaniam dicebat, omnem auctoritatem, a Christo Romanæ Ecclesiae traditam, penitus evacuatam esse, et ab ipsa excidisse Pontificem, Cardinales, caeterosque Prælatos, atque in Sectam suam fuisse translatam, quam jactitabat esse veram Congregationem spiritualem a Deo electam. Armeni sustinent, Episcopum Romanum, non esse totius Ecclesiæ Primatem. Anastasius Dicors, Papam inquit debere obedire Imperatori; et Anatholius Patriarcha Constantinopolitanus eo dementiæ devenit, ut diceret, se Primatem esse totius Ecclesiae. Tandem alii non defuerunt qui assererent cum Marsilio, Calvino, et Joanne Janduno (§. 7. h.), Christum nullum sibi reliquisse Vicarium in Terris: atque propterea Romanum Episcopum esse parem aliis. Sed his ex opposito adversantur Catholici. Cum quibus et nos. Atque ut veluti sponte sua veritas se prodat, sit.

PROPOSITIO I.

S. Petrus Romæ fuit, atque Romanam Ecclesiam fundavit.

§. 26. Probatur. S. Petrus concludens suam primam Epistolam, quam ad universam Ecclesiam direxit, ita loquitur (I Petri Cap. V. v. 13.): *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, et Marcus filius meus.* Ergo his verbis duo innuit; 1. se fuisse Romæ, atque 2. ibi jam Ecclesiam fundasse. Et sane, quod nomine Babylonis hic Petrus Romam intelligat, testis est Papias Apostolorum discipulus, qui referente Eusebio (Lib. VII. Cap. II.), *hoc dicit, quod Petrus in prima Epistola sua, quam de urbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropice Romam Babyloniam nominavit cum dicit: Salutat vos, ea quæ est in Babylone collecta Ecclesia.* Quod autem Ecclesiam ipse fundaverit, patet ex hoc ipso, quod ibi de Ecclesia jam Romæ collecta, et existenti loquitur, quæ sane a nullo alio, quam a seipso fundata esse potuit. Nullibi namque legitur, aliquem Apostolorum ante S. Petrum Romam pervenisse, ibique Ecclesiam fundasse; *sed salutaris prædicationis verbo*, scribit Eusebius (Lib. II. Hist. Cap. 74.), *primus in Urbe Roma Evangelii sui Clavibus januam regni cœlestis aperuit.* Quod si primi, inquit Epiphanius (Hæresi 24. quæ est Carpocratis.), *in Roma fuerint Petrus, et Paulus*, non ita accipiendum est, quasi simul venerint, sed quod cæteros præcesserint, primo Petrus, anno nempe circiter 2. Claudii Imperatoris, postea Paulus, scilicet anno tertio Neronis adhuc fluente, quindecim nempe post annos, ex quo Petrus Romam primum appulerat, ibique suam sedem collocarat (Tirini Comm. in Cap. XXVIII. Act. Apost. n. 16.)

PROPOSITIO II.

S. Petrus Romæ obiit, atque ad mortem usque fuit Romæ Episcopus, et Universam Ecclesiam gubernavit.

§. 27. Probatur traditione. Dionysius Corinthius de Petro, et Paulo loquens; *ambo*, ait (Apud Euseb. Lib. II. Hist. Cap. 25.), *in hac Urbe* (Roma) *simul docentes, etiam martyrio pariter, uno eodemque tempore coronati sunt*. Eusebius (In Chronico an. 72. a Christ. nato.): *Primus*, inquit, *Nero super omnia scelera sua etiam persequutionem in Christianos facit, in qua Petrus, et Paulus gloriose Romæ occubuerunt*. Idipsum habet Eutropius (Lib. VI. in Vita Neronis.). Origenes (Lib. III. in Genesim.): *Et Petrus*, inquit, *ad ultimum in Urbe Roma commoratus, ibi et crucifixus est deorsum capite demerso*. S. Hieronymus (De viris illustribus in Petro.): *Simon Petrus*, inquit, *ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum, idest 14. Neronis annum, a quo et affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso*. S. Maximus (Serm. V. de Nativ. Apost.): *Petrus*, inquit, *et Paulus martyrium pertulerunt in Urbe Roma, quæ principatum, et caput obtinet nationum*. Hoc ipsum adfirmant Patres alii permulti, quos citat, et sequitur Bellarminus (Controv. III. Lib. I. Cap. 3.); Ergo etc.

§. 28. Probatur 2. pars, etiam traditione. Eusebius namque ita scribit (In Chron. anni 44.): *Petrus natione Galilæus Christianorum Pontifex, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans, 25. annis ejusdem Urbis Episcopus perseverat*. S. Ambrosius (Lib. III. de Sacram. Cap. I.): *Utique*, inquit;

auctor est nobis hujus assertionis Petrus Apostolus, qui sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ. Prosper (Lib. de ingratis.) ita cecinit, de Petro verba faciens:

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris.
Facta caput Mundo; etc.

Isidorus in vita Petri scribit ita: ***Hic postquam Antiochenam Ecclesiam fundavit, sub Claudio Cæsare contra Simonem Magum Romam pergit, ibique prædicans Evangelium, vigintiquinque annis ejusdem tenuit Pontificatum;*** Ergo etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 29. *Objic.* I. Veritatis historicæ inditium est, si Scriptores in factis narrandis, inter se conveniant; Atqui de adventu S. Petri ejusque commoratione in Civitate Romæ, Scriptores inter se non conveniunt; Ergo falsum est, quod in Thesi statuitur.

§. 30. R. conc: maj:, et dist: min: non conveniunt circa annum, quo S. Petrus venit Romam, et circa tempus præcisum quo Romæ fuit, conc:, non conveniunt circa ejus adventum Romam, n. min: et consm. Patres, atque historici primi ordinis fere omnes, tradunt, atque fatentur, S. Petrum Romæ fuisse, ibique commoratum (§. 27.); et hoc est quod nostra interest; An vero illic venerit in exordio Regni Claudii Imperatoris, ut vult Orosius; vel sesecundo Claudii anno, ut vult Hieronymus; an in 4. ipsiusmet anno, uti legitur in fasciculo temporum, vel potius anno 13. Claudii, uti habetur in Passionale de Vitis Sanctorum, hoc nihil facit contra nos, dummodo jam per Scriptores constet, sicuti jam constat, Romam venisse.

§. 31. *Contra.* Atqui per Scriptores non con-

stat, S. Petrum Romae fuisse; Ergo n. r. Prob: subsm. Scriptor certe omni fide dignus erat S. Paulus. Si ergo S. Petrus Romae fuisset, scribens ille ad Romanos, S. Petrum salutasset, vel saltem Petri meminisset; Atqui de eo ne verbum quidem facit Paulus in Epistola ad Romanos scripta; Ergo etc.

§. 32. R. dist: 1. cons. Si ergo etc:, si S. Petrus tunc fuisset Romae, conc:, secus, n., conc: min: in data dist:, et n. consm. Mirum esse non debet si Paulus ad Romanos scribens, neque S. Petrum salutat, ac nequidem ejus meminit. Nam Petrus, cum Romanis talem scripsit Epistolam Paulus, non momorabatur Romae, sed versabatur in Lydia; Sane talis Epistola nonnisi 26. anno a morte Christi scripta fuit.

§. 33. *Contra.* Atqui non quia tunc, cum Epistolam ad Romanos scripsit Paulus, Romae non erat Petrus, nequidem ejus meminit, sed quia nunquam ibi fuit; Ergo n. r. Prob: subsm. Cum Paulus pervenisset Romam, a Iudaeis ibi degentibus rogatus fuit, ut de Christiana Religione mentem suam aperiret; Atqui id nequaquam rogassent, si Petrus Romae fuisset, et ab eo prius Evangelium audivissent; Ergo etc.

§. 34. R. n. consm. Iudaei non rogaverunt Paulum ut ipsos fidem doceret, quasi nihil de ea unquam prius audivissent, sed ut de Religione Christiana, quae tantopere commendabatur, mentem suam aperiret; Cumque esset Paulus Legis peritissimus, indicaret eis, an cum Mosaicae Legis figuris et vaticiniis Evangelium cohæreret; quod et fecit Apostolus. Revera Iudaeos, quos in suo adventu Romae invenit Paulus, in fide, et Evangelii lege satis jam, et quidem à S. Petro fuisse instructos, clare in laudata sua Epistola, quam antea eis scripserat, ostendit, dicens: *fides vestra annuntiatur universo Mundo.*

§. 35. *Objic.* II. Non consentiunt historici circa locum mortis S. Petri; Frustra ergo asseritur eum Romae objisse. Prob: antec: S. Ambrosius (Serm: 67.) de Petro, et Paulo scibens, ait. » Una die, uno » in loco, unius Tiranni tolleravere sententiam «; Contra vero Linus in passionibus Petri et Pauli, dicit, eos nec eodem tempore passos, nec eodem loco, nec eodem Tiranno jubente; ergo etc.

§. 36. R. ad argumentum. Et ad Ambrosium quod attinet, nihil nos movet adducta illius auctoritas, si per locum intelligatur urbs ipsa Romae, et non pars aliqua ipsius. Siquidem conveniunt historici inter se, S. Petrum, et Paulum Romae mortem subjisse; discrepant vero in assignando illo praecise loco, seu illa proprie parte Civitatis Romae, in qua morti traditi fuere; quae discrepantia hic nostra non interest. Quod vero ad Linum spectat, superfluum existimamus immorari in confutatione ipsius testimonii, cum vel ipsis adversariis constet, illius historiam esse adulterinam, penitusque confictam.

§. 37. *Contra.* Atqui non consentiunt inter se historici circa locum mortis S. Petri; Ergo etc: Prob: subsm. Si Petrus Romae objisset, Josephus Hebraeus, qui Neronis tempore vixit, et Romae degens, de Bello Judaico scripsit historiam, et meminit interfectorum a Nerone, certe Petri meminisset, si et is fuisset a Nerone interfectus; Atqui non meminit; Ergo etc.

§. 38. R. Ad veritatem historicam habendam, satis non est ut quis scire potuerit, sciveritque revera factum accidisse, sed omnino requiritur, ut qui factum sciat, velit quoque aliis fideliter, factum illud narrare; nec aliqua causa sit quae ad illud silentio praetereundum inducat. Ita in casu nostro, narrare, poterat Iosephus mortem S. Petri, crudeliter a Nerone occisi, sed noluit; idque ut ipse innuit (Lib: II. de Bello Judaico), quia volebat silentio præterire nefanda scelera Neronis, quoniam sciebat, narratio-

nem illam fore molestam Romanis Imperatoribus, qui aegre ferebant, praedecessores suos vituperari. Nihil ergo ex silentio Iosephi contrà nostram thesim.

§. 39. *Contra.* Atqui Josephus Hebraeus silentio praeterit Petri mortem sub Nerone, quia revera non accidit; Ergo n. r. Prob: subsm. Quando post Christi mortem lapidatus est S. Stephanus, Petrus erat jam senex, et Paulus erat adolescens (Act: Cap: VII. 57.); Atqui Paulus ad senectutem pervenit, ut ipsemet testatur in Epistola ad Philemonem (Cap: I. v. 9.); Ergo fieri non potuit, ut eodem tempore cum D. Petro mortem subjerit; Adeoque etc.

§. 40. R. Cum inverosimile videatur, Christum Dominum, qui Apostolos elegerat ad subendos labores immensos pro sua gloria et Ecclesiae fundatione; ut pedibus sine calceamentis incederent, irentque per universum Mundum ad praedicandum suum Evangelium omni creaturae, voluisse ad id munus assumere viros senes, atque impotentes, maxime Petrum, quem Caput et fundamentum Ecclesiae suae constituere volebat; dicendum propterea, S. Petrum non fuisse senem, quando Paulus dicebatur adolescens, sed ad summum maturae aetatis virum, ut scilicet ipse tunc fuerit aetatis quinquagintaquinque annorum, Paulus vero vigintiquinque; adeoque quando morti fuerunt traditi, ambo esse senes potuerunt, et simul mori; quandoquidem ultimo Neronis anno, quo mortui dicuntur, Petrus aetatis erat 86. annorum, Paulus vero 61.; Adeoque etc.

PROPOSITIO III.

Mortuo S. Petro alius successit in regimine Ecclesiæ, non solum ut Episcopus Romæ, sed ut Summus Pontifex totius Ecclesiæ, loco ejus.

§. 41. Probatur Traditione. S. Epiphanius de Pontificum successione a S. Petro loquens, ita scribit

(Haeresi 27. quae est Carpocratis): *Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit, Petrus et Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Evaristus, Alexander, etc.* Similiter loquuntur omnes illi qui Pontificum Romanorum Catalogum conficiunt (Vid. Berti Lib. V. de Teolog. etc. Cap. I. Controv.); Ergo etc. Et re quidem vera, si Petro alius non successisset, nedum in Episcopatu, sed in Primatu totius Ecclesiæ, Ecclesia absque capite remansisset; grex sine pastore; ideoque defecisset; atqui hoc est contra Christi promissionem Ecclesiae factam, (§. 361. et seq: T. I.), eam nempe usque ad finem Mundi fore duraturam; ergo etc.

CONCLUSIO

Romanus Pontifex est verus Petri successor, habetque illi a Christo concessa Privilegia.

§. 42. Prob. 1. pars. S. Petrus fuit Universalis Ecclesiae Primas, et Pastor (§. 8.); Romam venit, ibique Ecclesiam fundavit Romanam (§. 26.); eamque rexit ad mortem usque, quam ibidem oppetiit (§. 27.). Post ejus mortem successorem habuit qui ejus vices gereret; et ita deinceps (§. 40.); Hic autem successor est Episcopus Romanus; Ergo etc.

§. 43. Probatur 2. Conciliorum definitionibus. Ac primo quidem Concilium Nicaenum (Apud Alphonsum Pisanum Lib. III. Can. 39.) haec habet: *qui tenet sedem Romanam, caput est, et Princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, ut qui sit Vicarius Christi super cunctos populos, et cunctam Ecclesiam Christianam, qui contradixerit a Synodo excommunicatur.* Concilium Ephesinum (Parte II. Act. 3.): *In omnibus sæculis notum est*, inquit, *quod S. Petrus Apostolorum Princeps, a Christo Claves regni accepit*

qui ad hoc usque tempus; et semper in suis successoribus vivit, et judicium exercet. Tandem, ut brevitati praefixae consulatur, Concilium Florentinum (In Const. Eug. IV.) ita rem totam conficit: » Definimus Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum Orbem tenere Primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum; totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, et ipsi in B. Petro, pascendi regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Œcumenicorum Conciliorum, et in sacris Canonibus continetur.

§. 44. Probatur 2. pars. Ille habet privilegia Petro a Jesu Christo concessa, qui in regimine Universalis Ecclesiae est verus Petri successor; Atqui Petri successor est Romanus Pontifex (§. 41. 42.); Ergo etc. Rursus: Ideo Christus voluit Petro successorem dare, quia nolebat Ecclesiam esse sine Pastore, Capite, Magistro, ac Duce usque ad finem Mundi; Sicuti ergo dixit Petro: *Pasce oves meas, pasce agnos meos: tibi dabo claves regni Cœlorum; quodocumque ligaveris super terram erit ligatum et in Cœlo, et quod solveris super terram, etc.*, ita et dixit Romanis Pontificibus; Ergo etc. (1).

(1) *Vide plura fusius apud* Suarez *Tomo I. Disp. X. sect 2.* Antoinè *Tom. I. Tract de Fide Cap. V. art. 2.* Boncat *Tomo V. dissert. unica art. 3.* Henno *Tomo I. Tract. II. Disp. 2.* Boyvin *Tomo IV. disp. 1. v. 7. sed praecipue* Ballarm. *T. 1. Controv. III. Lib. II. Cap. 12.* a Breno ib: Lib: I. C. I. q: 3. pag. 14.

Solvuntur Objectiones.

§. 45. *Objic*: I. Ut Romanus Pontifex verus statuatur Petri successor, id utique deberet ex Sacris literis innotescere, cum juxta regulam traditam a Bonifacio VIII., asserenti, mandatis Principis severissime, credendum non est, nisi hoc scriptis probaverit: sed ex Sacris literis id non innotescit; nullibi enim in Scriptura dicitur, quod Romanus Pontifex debeat D. Petro in Pontificatu succedere; ergo non succedit; adeoque etc.

§. 46. R. dist: maj: Ut Romanus Pontifex etc., id deberet ex Sacris literis innotescere, sive explicite, sive implicite, conc:, explicite tantum, nego maj:, et dist: min: Sed ex Sacris literis etc. nullibi dicitur explicite, concedo; nullibi dicitur saltem implicite, nego min:, et consm. Cum Servator Christus, verbis illis *Tibi dabo* etc. *Pasce* etc. Petrum constituerit Ecclesiæ Pastorem, non ita tamen ei curam pascendi commisit, ut cum ejus vita finiretur, sed ut post eum ad ejus successores transiret: licet enim privilegium personale privatum, seu datum personæ privatæ cum persona extinguatur, non sic privilegium publicum, seu factum publicæ personæ; quia hoc datur tam pro persona, quam pro suis successoribus. Hinc privilegium Petri fuit secundi generis, juxta dicta superius; inde quippe, ut eo extincto non perierit, sed in successoribus continuetur: atque ea de causa, ubi in Scripturis explicite dicitur, Petrum esse Pastorem Ecclesiae, ad minus implicite revelatur debere successores habere. Et cum semper soli Romani Pontifices fuerint ab Ecclesia propositi, ut Petri successores, peroptime sequitur, solos ipsos Romanos Pontifices D. Petro succedere. Et hæc ratio est cur hoc sit de Fide tenendum, quia de Fide est, eum esse Petri successorem, quem Ecclesia ut talem proponit; unde ex adductis Christi Domini verbis, sin minus

explicite, implicite saltem innuitur, Romanos Pontifices esse Petri successores.

§. 47. *Contra*. Atqui quod Petrus verbis illis: *Pasce oves meas* fuerit constitutus Ecclesiæ Pastor, non tamen sequitur, quod in eo munere Romanos Pontifices successores habeat; ergo n. r. Prob. subsm. Plura gessit Petrus, quæ ejus successoribus non conveniunt: sic sua umbra morbos sanabat, et libros Canonicos scripsit, in quibus Romanos Pontifices successores non habuit; ergo quod Petrus etc.

§. 48. R. neg: consm. Adductum argumentum solum probat, Romanos Pontifices Petro non succedere in Apostolatus prærogativa, et dotibus particularibus, non tamen probat, ipsos non succedere in præfectura totius Ecclesiæ cum ordinaria, et amplissima jurisdictione ad eam regendam. Debent itaque quotquot nostræ Catholicæ adversantur thesi, dotes particulares personæ Petri distinguere ab iis, quae ordinarium officium Pastoris spectant; ut est pascere, regere, curare oves, lupos ab iis arcere, leges, et jura pro bono Universalis Ecclesiae regimine, et similia agere, sine quibus boni Pastoris munus quis obire non posset. Iam enim Romani Pontifices non in prioribus illis, sed in posterioribus istis Petro, pleno jure, succedunt; nec tamen opus est ut in illis etiam succedant; quod et in politicis patet: ubi ut quis sit Regis alicujus successor, opus non est, quod sui praedecessoris personales praerogativas habeat, puta sapientiam, prudentiam, pietatem, fortitudinem, justitiam, sed sufficit, ut in omnem jurisdictionem, et regendi potestatem succedat: ita in casu nostro de Romano Pontifice; et proinde nos adductum argumentu non urget.

§. 49. *Contra*. Atqui verba illa *Pasce* etc. ita de Petro intelliguntur, ut non comprehendant ejus successores, quatenus nempe Pastoris Officium Petro traditum continuare in ipsis, et perseverare debeat;

ergo restat argumentum Prob subs. Si verba illa *Pasce* etc. ita de Petro intelligerentur, ut et ejus successores comprehenderent, pariter illa alia (Lucae 22.): *Et tu aliquando coversus confirma fratres tuos*, ita essent intelligenda, quod Romani Pontifices Petri successores, deberent prius Christum negare, et converti, ut postea pastoris officium accipiant, et fratres confirment: hoc postremum vos non admittitis, quia absurditatem sapit; ergo neque admittendum est et primum; adeoque verba illa etc.

§. 50. R. neg: maj: Nomen illud *conversus* duplicem potest sensum habere; primo, ut idem sit, ac emendatus, seu a culpa resurgens; secundo ut idem sit ac applicatus, et intendens; quemadmodum ibi v. 62. *Conversus Dominus respexit Petrum.* Iuxta priorem sensum acceptum nomen illud *conversus*, propriam, et personalem culpam supponit, quae ad personam peccantem restringitur, et ad successores non transit, sed juxta secundum, curam pastoralem respicit, quae transit in eum, qui in eadem jurisdictione et dignitate succedit. Cum ergo illud Lucæ *conversus*, non in priori sensu successores complectatur, quod caeteroquin manifestum est, peroptime proinde concluditur, quod eosdem complectatur posteriori sensu, nempe quod in cura pastorali, quae in ipsis usque adhuc perseverat, Petro succedat. Eo vel maxime, quia intuitu necessitatis Ecclesiae, traditum est Petro, ut portae Inferi adversus eam non praevaleant, et ut in omni dubio posset ipse gregem Christi, sine erroris periculo docere, confirmare, et stabilire, ne caderet, atque peccaret, quae sane necessitas, cum sit ad finem usque Mundi duratura, debet et hoc privilegium perpetuum esse, et continuò Petri successoribus adhaerere, quidquid in contrarium blaterent adversarii nostri; adeoque etc.

§. 51. *Objic.* II. Ratio plenissime suadet, quod Romanus Pontifex Petro non succedat in primatu,

et suprema jurisdictione, quae Ecclesiae convenit; ita ergo est tenendum; adeoque etc. Prob: antec. Romanus Pontifex est filius Ecclesiae, et Ecclesia Mater est, quae dicente Augustino in Psalmo 127. Christianos per Baptismum quotidie parit; sed Mater filio major est; ergo suadet ratio etc.

§. 52. R. dist: maj: Romanus Pontifex est filius Ecclesiae semper, et secundum unam, eamdemque rationem, nego; quandoque, secundum aliam, atque aliam rationem, conc: maj: min:, et nego consm. Alia ratione Pontifex est filius, et alia est Pater Ecclesiae; quippe filius est generatione spirituali per Baptismum, et Pater aucthoritate, atque regimine. Ita profecto Episcopus filius est naturalis alicujus mulieris, ejusdem Pater est spiritualis; ita et Rex est filius suae matris, in politicis autem, et in regimine sua Matre major est. Qua super re præstat audire, quid dicat Pius II. Constit: in Minoribus 10., ubi sic « Pontifex etsi filius est propter regenerationem, propter » dignitatem vero tamquam Pater habetur; et sicut » filiationis causa venerari debet Ecclesiam tamquam » Matrem, et praelationis causa ei praefertur, ut » Pastor gregi, Princeps populo, Rector familiæ ». Consequenter, ex quo non sequitur, Pontificem utpote filium Ecclesiæ esse ipsa inferiorem, ita neque sequitur, eum Petro non succedere in primatu, et jurisdictione suprema.

§. 53. *Contra.* Atqui ita Pontifex vere est Ecclesia inferior, ut ipse Petro non succedat in primatu et suprema jurisdictione, quæ Ecclesiæ convenit; ergo nulla responsio. Prob subs. Ecclesia est corpus, et totum, Pontifex autem est membrum et pars illius: sed corpus membro majus est, et totum parte; ergo Ecclesia Pontifice major est; adeoque ita vere etc.

§. 54. R. dist: maj: Ecclesia etc., Pontifex vero membrum est, et pars illius; membrum quodcumque, et partiale, nego; membrum principale, et Ca-

put, quod plenam habeat, et sine limitatione jurisdictionem, conc: maj:; et in data dist: concessa min., nego consm. Qualiter Pontifex sit membrum Ecclesiae, ex data distinctione satis abunde liquet; quin et dici potest, quod Pontifex membrum dicitur, prout hoc importat distinctionem a caeteris membris Ecclesiae, qui tribus modis ab ipsis distinguitur: 1. perfectione, et potestatis plenitudine, per quam in Orbe Terrarum, sine loci ac jurisdictionis exceptione integram habet potestatem regendi Ecclesiam 2. Officio, quatenus ipse influit jurisdictionem in alios Praelatos; 3. tandem dignitate, quatenus ei omnes sive Ecclesiastici, sive Principes subsunt, et tenentur obedire. Proinde pars Ecclesiae Pontifex non dicitur quia ipse non partem aliquam, sed plenitudinem jurisdictionis habet ad regendam Ecclesiam, et ipse tota est Ecclesia spiritualiter, quia Caput est, ex quo virtus caeteris communicatur membris. Denique axioma illud, totum sua parte majus est, vel inde verificatur tantum in toto quantitativo, ubi lignum palmare, majus est semipalmo, et in toto numerali, ubi denarius numerus ternario major est; non verificatur autem ubi de majoritate agitur quantitatis virtualis, quia hac quantitate, nulla est in Ecclesia dignitas major Papali, sed in omnibus major haec est; quippe in plura, et majora objecta haec se extendit atque se extendere non potest alia quælibet inferior dignitas, sive omnes seorsim, sive unitim accipiantur. Frustra ergo se fatigant adversarii, cum ostendere conantur, Pontificem esse Ecclesia inferiorem, unde valeant ipsi concludere, supremam jurisdictionem Pontifici non convenire.

§. 55. *Contra.* Atqui semper Ecclesia Pontifex inferior est, et proinde non Pontifici suprema jurisdictio convenit; restat ergo argumentum Prob: subsm Pontifex potest renuntiare Papatui, quod constat in Capite *Quoniam* de *renuntiatione*, quem renuntiavit

Cælestinus V., et renutiatio apud superiorem fieri debet, Cap: *Admonet eod: tit:*, sed nullus alius esse potest Pontifice superior, nisi Ecclesia, vel Concilium eam repræsentans, cui Papatum renuntiat Pontifex; ergo in Ecclesia, et non in Pontifice est jurisdictio; ergo semper etc.

§. 56. R. neg: min: Potest utique Pontifex Pontificiæ potestati renuntiare, quia spirituale conjugium quod est inter ipsum, et Ecclesiam Universalem non est indissolubile; Pontifex enim non est primarius sponsus Ecclesiae, sicut est Christus; sed secundarius, et primarii sponsi Vicarius, ut notant Theologi. Renuntiatio autem, juxta allegatum textum, fieri utique debet apud Superiorem, semper quando datur, ut notat Glossa ad dictum Cap:; unde cum Pontificia potestas a Deo immediate conferatur, Papa proinde superiorem in Terris non habet, sicut habent alii Praelati inferiores, quocirca resignatio Pontificiæ potestatis apud Ecclesiam utique fit, sed ut per eamdem authentice constat in manibus Christi Domini factam fuisse. Consequenter etc.

CAPUT III.

De Infallibilitate Romani Pontificis in definiendis rebus Fidei, et morum.

§. 57. *Animad.* In duplici aspectu, quod ad rem attinet præsentem, considerari potest Pontifex Romanus, et ut persona nempe privata, vel doctor privatus, et ut Papa, Vicarius nempe Christi, animarum omnium fidelium Pastor, et Magister. Tunc dicitur Pontifex, ut persona privata et doctor privatus aliquid decidere, atque definire, cum propria mente, atque ingenio docet, vel scribit aliquid, vel librum aliquem componit, aut interpetratur, in eoque suam opinionem exponit, quæstionem pertractat,

etc., quin aliquid pontificia potestate decernat vel credendum, vel agendum. Loqui vero ut Papa, et Vicarius Christi, seu; ut dicunt, *ex Cathedra*, tunc dicitur, cum adjuncto cœtu solito consiliariorum, præcibus præmissis, atque Sancti Spiritus invocata assistentia, aliquid de Fide credendum, vel præceptum aliquod Ecclesiæ proponit observandum. In hoc secundo sensu loquimur modo de Romano Pontifice.

PROPOSITIO I.

Romanus Pontifex ex Cathedra loquens, in illis, quæ Fidei, et morum sunt errare nequit.

§. 58. Probatur 1. Romanus Pontifex est Petri successor (§. 41.); Atqui S. Petrus a Jesu Christo privilegium infallibilitatis obtinuit (§. 23.); Ergo et summus Pontifex; adeoque etc. Prob. consa Ideo contendimus S. Petrum errare non potuisse in doctrina Fidei et morum, quia si errasset, Ecclesia salva non consisteret, et portæ inferi adversus eam prævaluissent (§. eod.): Atqui hæc eadem ratio militat pro Romano pontifice; Ergo etc. Probatur min. Non minus successoribus, quam Petro Ecclesia commissa fuit, atque commendata ut regeretur, atque ab omni macula, et labe immunis usque ad finem mundi servaretur; omnibus namque suis successoribus, sicut et Petro dictum est a Domino: *pasce oves meas, pasce agnos meos*: *tibi dabo claves regni Cœlorum etc.*; et non magis tempore Petri quam nunc, Ecclesia est vere *columna et firmamentum veritatis*; Ergo etc.; adeoque etc.

§. 59. Probatur 2. Si Romanus Pontifex in materia Fidei, et morum errare posset, nullæ unquam hæreses a solo Romano Pontifice proscriptæ fuissent, et ut tales ab Ecclesia habitæ; Atqui oppositum constat ex perpetua traditione; Ergo etc. Probatur min. Ante

Concilium Nicaenum multae hæreses a solis Pontificibus damnatæ fuerunt, scilicet Cerdonis, Marcionis, Saturnini, Valentini, Ophitarum, Montanistarum, Novatianorum, etc. Unde Felix Papa III. ad Episcopos Dardaniæ scribens: *Nec prætermittimus*, ait, quod *Apostolica Sedes, nulla existente Synodo, habuerit facultatem damnandi quos oportuit*. Atqui prædictæ hæreses a solis Romanis Pontificibus damnatæ fuerunt, et ut tales ab Ecclesiæ habitæ: Ergo etc.

Objectiones adversariorum solvuntur.

§. 60. *Objic.* Ille in definiendis iis, quæ Fidei et morum sunt potest errare, qui ut alii homines circumdatus est infirmitate; Atqui ex D. Paulo (Hebr. cap. V.): *omnis Pontifex ex hominibus assumptus, circumdatus est infirmitate*; Ergo etc.

§. 61. R. dist. maj. Ille in definiendis etc., si adsit ei specialis Spiritus Sancti assistentia, nego maj., si desit, conc.; et concessa pariter min. in sensu dist. datæ, dist. cons. Errare potest ut persona privata, speciali adjutorio Sancti Spiritus orbata, conc.; ut Pontifex Caput Ecclesiae, et speciali Spiritus Sancti assistentia munitus, nego consm. Quilibet homo, ut homo est, et persona privata cujuscumque sit ordinis, et dignitatis, errori est obnoxius; maxime circa ea quae Fidei sunt, quaeque humanum superant captum, et finitae rationi non subjiciuntur, quippe circumdatus infirmitate. At quando homo Spiritum veritatis adjutorem habet; qui docet eum omnem veritatem, sit quantavis infirmitate circumdatus, errare nequit. Ita Summus Pontifex, quoties sibi ipsi relictus, et ut persona privata aliquid docet, aut decernit errare potest (esto non desint qui oppositum teneant); at si ex Cathedra loquitur, et ut Pontifex, atque Christi Vicarius aliquid fidelibus vel credendum, vel faciendum proponit, errare uti-

que nequit, tum ob concessam illi infallibilitatem (§. 57.), tum quia speciali Spiritus Sancti assistentia potitur.

§. 62. *Contra.* Atqui Romanus Pontifex, etiam ut est Papa, et Caput Ecclesiae potest errare in definiendis iis, quae ad Fidem, et mores spectant; Ergo n. r. Prob. subs. Romanus Pontifex, etiam ut Papa, et Ecclesiae caput potest peccare; quis enim Romanum Pontificem impeccabilem unquam dixerit? Ergo potest errare.

§. 63. R. dist. antec: Romanus Pontifex etc., potest peccare peccato infidelitatis, vel erroris contra Fidem, et bonos mores, nego ans; quocumque alio peccato, contra quamcumque aliam virtutem, aut contra Domini praecepta, vel faciendo quod est prohibitum, vel omittendo quod sui muneris est, conc. antec., et nego conseq. Cum in Romano Pontifice, non donum impeccabilitatis defendimus, nihil movemur, si ille quandoque aut infirmitate, aut ex malitia peccat. Homo namque est, sicut et caeteri. Negamus tamen, eum peccare posse peccato infidelitatis, vel erroris in Fide; Nam ob Ecclesiae bonum, Fidei conservationem, et fidelium instructionem voluit Deus, eum non posse errare, et ejus testimonium, in iis quae Fidei, et morum sunt, esse infallibile.

§. 64. *Contra.* Atqui Romanus Pontifex sicuti potest peccare, ita et potest errare in Fide etc.; Ergo n. r. Prob. subs. Si Romanus Pontifex non posset in Fide errare, nihil mereretur praeceptum adimplendo de Fide conservanda; quia ad meritum requiritur libertas indifferentiae. Atqui hoc est falsum; nam alias Pontifex esset deterioris conditionis, quam alii fideles; Ergo etc.

§. 65. R. negan. maj. Esto namque in Romano Pontifice ad errandum in Fide, moralis impotentia admittatur, non ideo sequitur eum nihil, mereri, fidem servando; Nam cum illa impotentia morali est

in ipso potentia physica ad Fidem perdendam, adeoque potest in eo stare meritum, quod Apostolorum exemplo Theologi non inferioris subsellii ostendunt. Postquam enim illi confirmationem in gratia acceperunt, poterant physice non observare praecepta, sed erant moraliter determinati ad ea observanda; et ideo praecepta, libertate physica observabant, et singularem adhibebant diligentiam ad non peccandum, quemadmodum de seipso testatur Paulus dicens: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo.* Sicuti ergo meritum Apostolorum componebatur cum eorum morali impotentia ad peccandum, ita Romani Pontificis meritum cum impotentia morali ad Fidem amittendam componitur.

§. 66. *Objic*: II. Sacri Canones supponunt, Papam posse a Fide deficere; Ergo non est infallibilis; adeoque falsa propositio. Prob: antec: Canone *si Papa* dist. 40., statuitur, Papam a nemine posse, propter quodcumque crimen judicari, nisi deprehendatur a Fide devius; Ergo Sacri Canones etc.

§. 67. R. admitt: antec: in sensu explicando, neg. consm. Adductus Canon non loquitur de Papa, ut est summus Pontifex, sed de Papa ut est privata persona; et adhuc auctor Canonis non dicit; quod Papa possit esse haereticus (quod est impossibile propter privilegium indefectibilitatis a Fide, quod Christus sua oratione promeruit); sed tantum discurrit ex hypothesi impossibili, vel si forte, et per impossibile contigeret, quod Papa a Fide deviaret. In hoc enim casu non judicaret Papa, sed persona, quae Papatum retinet, et a Papatu propter haeresim cecidit; atque ideo idem auctor utitur cautela, volens non posse judicari Papam, nisi per impossibile fieret ipse haereticus.

§. 68. *Contra.* Atqui Canon ille statuens legem, quando possit judicari Papa, casum possibilem, et non impossibilem supponit; Ergo n. r. Prob: subsm.

Lex quaelibet, non pro casu impossibili, sed pro possibili constituitur; alias non esset utilis; Ergo si Canon ille legem statuit quando etc:, casum possibilem etc.

§. 69. R. conc: antec:, neg: consin. Lex proculdubio absolute constituitur, et non hypothetice; seu quod idem est, semper supponit casum possibilem, et non impossibilem, ut utilis esse possit. Verum inde non sequitur, quod etiam Canon, qui vim Legis habet, debeat in omni casu absolute constitui. Habet itaque ille veritatem conditionalem tantum, quae verificari nunquam potest, quia Deus Papae semper assistit; unde cum conditio nihil ponat in esse, nisi quando ipsa conditio verificatur; stat proinde, nihil concludere illam Canonis conditionem, quia nunquam potest ipsa conditio verificari. Caeterum ad penitus retundendam adversariorum jactantiam reponimus, quod Canon ille, non ab aliquo Pontifice, sed a quodam Bonifacio Archiepiscopo Muguntino fuit editus; quapropter, quia ipse potuit hujus opinionis esse, ideo, utpote doctoris privati, vim nullam facit.

§. 70. *Contra*. Atqui ita Canon ille fuit absolute constitutus, ut casum possibilem, et non impossibilem supponat; Ergo n. r. Factum absolute possibilem laudatus Canon supponit; nam Multi Romani Pontifices de facto in haeresim lapsi sunt, atque in Fide errarunt: Ergo etc.

§. 71. R. Non satis constare num Pontifices illi, de quibus adversarii loquuntur, revera in haeresim lapsi sint, cum multi ex nostris Theologis inveniantur qui eos ab errore omnino excusent. Sed esto concedatur aliquos errasse, quid inde? Locuti ne sunt tunc cum errarunt, ex Cathedra, aliquid de Fide definiendo, quod esset error? minime quidem, sed ut privati homines; neque si exterius in Fide errare visi sint, fidem revera interius amiserunt. Nam et Liberius subscripsit formulæ Arianorum, ne mit-

teretur in exilium, et Marcellinus metu mortis thurificavit idola; et similiter Petrus ter Christum negavit, nemo autem eorum Fidem internam amisit (1).

PROPOSITIO II.

Romani Pontificis judicium in materia facti doctrinalis infallibile est.

§. 72. Probatur 1: ex Scripturis Veteris Testamenti. In Deuteronomio (Cap. XVII. v. 8.) hæc a Deo Israelitis praecepta leguntur: *Si difficile atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris . . . . venies ad Sacerdotes Levitici generis . . . . et facies quodcumque dixerint . . . . sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram*; Ergo a fortiori quoties in Ecclesia Catholica dubium aliquod insurgit circa doctrinam, aliquo in Libro contentam, sit ne sana, vel hæretica, aut quovis alio modo suspecta, debemus stare judicio Summi Sacerdotis, Romani nempe Pontificis, ejusque decisioni perfecte assentiri, et adquiescere, ne circumferamur omni vento doctrinæ; Ergo Romani Pontificis etc. Et sane non est minor Sacerdotibus Levi veteris Legis Summus Pontifex Romanus, immo illos excedit quam maxime. Si ergo illorum sententia adeo certa erat, atque secura, ut eam sequi proculdubio Israelitae deberent, multo magis certæ sunt, atque inconcussæ Summorum Pontificum in materia facti doctrinalis de-

(1) *Vid. Auct. ut supra* §. *21. suis in loc.* Bellarm. *præser. Cont. III. Lib. IV. Insuper* Joseph de Turre *Inst. ad Verbi Dei scripti intellig. Tract. III. Quæst. V.* Francisc. a Breno. *To. I. Manuale Missionar. Q. VII.* Ferraris *Biblioth. verbo* Papa *art. 2.*

cisiones, et tuto eas amplectere debent fideles; adeoque Romani Pontificis, etc.

§. 73. *Prob:* 2. ex Scriptura Novi Testamenti. Apostolus ad Timotheum scribens (Epist: I. Cap: I. v. 19.), ait: *Quidam circa Fidem naufragaverunt: ex quibus est Hymeneus, et Alexander: quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare.* In Apocalypsi etiam (Cap: II. n. 6.), de Episcopo Ephesino dixit Angelus Joanni: *Hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quae et ego odi.* Jam vero ex his testimonis clare patet, non solum fuisse damnatam doctrinam Fidei Catholicae adversam, quod est materia juris, sed et personas ipsas talem doctrinam sustinentes; quod est materia facti; Ergo etc.

§. 74. *Prob.* 3. ratione Theologica. Judicare factum doctrinale, ad Fidem pertinet; Nam: *pertinere ad puritatem fidei, atque doctrinæ, damnare hæreses cum suis auctoribus*, ait S. Leo (Ad Synod. Chalced); quoties ergo dubitatur, num Liber aliquis, doctrinam contineat erroneam, standum est profecto Pontificis Romani judicio; nam sicut ad Pontificem spectat de Sacris Scripturis judicium ferre, et judicium Pontificis est infallibile, ita ad Pontificem spectat de doctrina in Libris auctorum contenta judicium ferre, et judicium ejus infallibile est; Ergo etc. Deinde Fidei depositum Pontifici creditum est, et ipse ut Pastor oves pascere debet sana doctrina; Si ergo Pontifex in materia facti doctrinalis posset errare, in discrimen maximum vocaretur Fides, et periculum foret ne ovibus venenata pascua pro salubribus apponerentur; Atqui si hoc foret, Jesus Christus haud sufficienter suae Ecclesiae providisset; Ergo etc. (1).

---

(1) Dupasquier. Summa Theol: Scot: T. V. Disp: IV. Q. IX. Con: 1.

PROPOSITIO III.

Judicium Romani Pontificis in Canonizatione Sanctorum infallibile est.

§. 75. Probatur 1. Romanus Pontifex docens Ecclesiam, in iis quæ Fidei, et morum sunt, nequit errare (§. 58.); Atqui Sanctorum Canonizatio ad materiam Fidei pertinet; Ergo in ea nequit errare; adeoque etc. Prob. min. Sanctorum Canonizatio est actus externæ confessionis Fidei contentæ in articulo de Communione Sanctorum; Romanus namque Pontifex cum aliquem Sanctum Canonizat, definit, eum esse vere in gloria, et in aliorum Sanctorum consortio, atque decernit, ita firmiter, et absque ulla dubitatione ab omnibus tenendum esse, ut patet ex Bullis Canonizationum, Sixti IV. præsertim de Canonizatione S. Bonaventurae, quæ sic loquitur: *Hunc Sanctum esse, fideliter, firmiterque teneri debere decernimus.* Quare merito D. Thomas inquit (Quodlib. IX. art. 16.): quod: *Honor quem Sanctis exhibemus est professio quædam fidei, qua Sanctorum gloriam credimus*; et Seraphicus ipse Doctor (In Opusc. contra Guglielmum.) ait: *Ad infidelitatem spectat de Sancti Canonizati gloria dubitare*; Ergo etc.; adeoque etc.

§. 76. Probatur 2. Sanctorum Canonizatio est publicum Ecclesiae Apostolicae Judicium, et testimonium de vera gloria, et sanctitate alicujus defuncti; quo judicio decernuntur illi in tota Ecclesia honores debiti iis, qui cum Deo feliciter regnant in Cœlis; Hinc a Summis Pontificibus (Cœlestino III. præsertim, et Innocentio III.) appellatur: *Divini potius judicii, quam humani opus*; re quidem vera toti Ecclesiæ colendus, invocandus ut Sanctus, et vere cum Deo regnans proponitur ille qui Canonizatur; Ergo fieri nequit ut in re tanti momenti, quæ universam respicit Ecclesiam, judicium Romani Pontificis fallibile sit. Nam si fallibile posset esse, merito dubitare possent

fideles, num illi, qui ab Ecclesia ut Sancti venerantur, revera sint tales, cum fieri possit ut non in Cœlo, sed in Inferno sint aliqui eorum; Atqui hoc lethale vulnus Fidei Catholicæ infligeret; Ergo etc.

§. 77. Dices: Vulgare illud effatum Augustini circumfertur: *multa corpora Sanctorum venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in Inferno*; Ergo etc.

§. 78. R. Communis Theologorum sententia est, laudatum dictum nullibi in libris Augustini genuinis reperiri. Sed dato etiam quod Augustini esset, quid inde? Nihil certe. Nam dictum illud intelligendum est, vel de falsis Sanctis, et Martyribus Hæreticorum, qui in Mundo ab aliquibus ut Sancti honorantur, cum eorum animæ torqueantur in Inferno; vel intelligendum est de Sanctis, non a Summo Pontifice, vel ab Ecclesia canonizatis, sed qui aliquorum opinione Sancti sunt, vel sanctitatem in vita affectantes, cum tali opinione mortui sunt.

§. 79. Inst. Intelligi nequit quomodo Summus Pontifex in Sanctorum Canonizatione sit infallibilis; Nam in judicio ferendo ipse, non nititur testimonio infallibili vel Scripturæ, vel revelationis a Deo acceptæ, sed hominum testimonio, quod fallibile est.

§. 80. R. Etsi Romanus Pontifex testimonio humano fallibili utatur in judicio ferendo circa Sanctorum Canonizationem, tamen *dicendum*, ait S. Thomas (Quodlib. IX. respon. ult.), *quod Divina providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur*. Cæterum Pontifex non movetur ad aliquem Sanctum canonizandum præcise ex testimonio habito de illius sanctitate, et miraculis, sed ex speciali Spiritus Sancti instinctu, et assistentia, ratione cujus ejus declaratio est firma, et judicium infallibile (1).

---

(1) Ferraris. V. Papa *art.* 2. *n.* 62. De Turre ut supra §. 3. concl. 1. Dupasquier T. V. disp: IV. de reg: fidei Q. IX. Concl. 2.

§. 81. Quaeres *An Romanus Pontifex Leges ferre possit obligantes universam Ecclesiam?*

§. 82. R. affirm. contra Valdenses, Wiclefum, Ioan: Huss, atque Lutherum, qui asserunt posse Prælatos, dumtaxat exhortari fideles ad divina mandata servanda. Est pariter contra Vigorium, atque Calvinum, concedentes posse Praelatos condere Leges, sed tantummodo in Conciliis Generalibus. Demon: Assertio. Nam Romanus Pontifex est verus Petri successor (§. 42.), et Christi Vicarius in terris: habet ergo in universam Ecclesiam potestatem, et jurisdictionem. Ipse est Magister, Dux, Pastor, et Rex; fideles sunt discipuli, oves, subditi, et milites, sicut ergo fidelium est Pontifici obedientiam, et obsequium præstare, ita et Pontificum est eos docere, regere, gubernare, pascere; Atqui sine legibus neque Pontifex posset suum officium implere, neque fideles quæ proprii muneris sunt recte facere; Ergo etc. Deinde Scriptura, pluribus in locis, obedientiam Superioribus præcipit, laudat obedientes, et pœnas transgressoribus minitatur; Ergo etc: Prob. antec. Ad Hæbreos scribens Paulus ait (Cap. XIII. v. 17.): *Obedite Præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, tamquam pro animabus vestris rationem reddituri.* Et ad Thessalonicenses scribens, sic ait (I. Thessal. cap. IV.): *Scitis quæ præcepta dederim vobis . . . Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui Spiritum suum Sanctum nobis dedit.* Et ad eosdem (II. Thessal. cap. III.): *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et nè commisceamini illi.* Tandem ad Corinthios scribens, ait (Corint. X.): *laudo vos, quod præcepta mea tenetis.* Ex quibus tale argumentum exurgit: Si Romanus Pontifex ferre non posset Leges obligantes universam Ecclesiam, sicuti fideles digni non essent laude si obtemperarent ei, ita non essent pœna afficiendi si obedire detractarent; Atqui ex

allatis locis, fideles tenentur obedire Superioribus, et potissimum Papæ, et laudantur cum obediunt, pœna afficiuntur cum obedire nolunt; Ergo etc. (1).

CAPUT IV.

In quo Brevis Summorum Pontificum Chronologica notitia, ad hæc usque nostra tempora continetur.

§. 83. Hoc in capite non alia mens nostra est, quam breviter successionem Romanorum Pontificum texere, ipsorum peculiaria solum quaedam gesta innuere, tempusque adnotare, quo in cathedra D. Petri sederunt, Ecclesiamque Catholicam gubernarunt. Difficilissimam sane rem aggredimur; atque Mare scopulis undequaque repletum ingredimur, ob varia, quae passim obversantur Scriptorum dissidia, atque Historicorum inter se in factis narrandis discrepantia. At Dei adjutorio confisi, et quae magis probata nobis videbuntur persequentes, quod agere proposuimus, ad optatum finem ducere conabimur. Quod ut clarius, et distinctius fiat, hanc Chronologicam notitiam distinguemus per sæcula, exordium sumentes a tempore, quo Christus cœlum conscendens, D. Petrum successorem suum universae Ecclesiæ, tanquam suum Vicarium, præfecit.

De Pontificibus primi sæculi.

§. 84. I. Sanctus Petrus Apostolorum Princeps: origine Syrus, ex vico Bethsaida apud Galilæam, filius Joannis, seu Jonae; frater Andreae, antea Simon, a

(1) Bellarm: Lib: IV. de Romano Pontifice Cap: XV. XVI. P. Franc: a Breno Manu: Miss: Tomo I. Cap: I. Q. 8. pag. 71.

Christo autem Cephas, sive Petrus dictus fuit; atque ab ipsomet, Ecclesiae suae sponsae petra, et fundamentum constitutus. Post acceptum Spiritum Sanctum, demandatum sibi munus prædicandi Evangelium, atque gubernandi fideles suscepit, et magno animarum lucro prosequutus est, domino ejus sermonem, signis atque prodigiis, confimante. Quinque annis in verbi Dei ministerio transactis, atque fide, et Religione Christiana in Jerosolymorum regione constabilita, Antiochiam perrexit, ibique constituta jam Ecclesia, Pontifex sedit septem annis, a qua discendens venit Romam Anno Christi 45. initio Imperii Claudii, fundaturus ibi Ecclesiam, et ita quidem ut sicuti Civitas illa erat omnium errorum magistra, Idololatriæ centrum, et frementium bestiarum sylva, fieret veritatis magistra, Caput veræ Religionis, et unitatis centrum. Quod, afflante divino Numine factum est. Ibi existens non pauca portenta fecit, inter quæ illud publicum, et solemne, quod magicis artibus per aerem, atque in altum volitare præsumens impius Simon Magus, sua oratione præceps in terram collisum dejecit. Duas quoque scripsit Epistolas, Romæ existens; primam secundo Neronis anno, atque per Silvanum fidelem fratrem misit Ecclesiis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, et Bithyniæ; alteram 12. ejusdem anno, cum ei a Deo revelatum fuisset instare tempus mortis suae. Plurima S. Petrus constituit, inter quæ jejunium Quadragesimale; tempus Christi Adventus; Orationem Dominicam in Missa; itemque addidit verbis Consecrationis a Christo statutis vocem illam *enim*; quæ postea fuit in usum redacta; postquam vero Romae sedisset an. 25. mens. 2. dieb. 3. Martyrio coronatus est cum D. Paulo, anno post Passionem Dom. 38., hic gladio percussus, ipse cruci affixus, capite deorsum verso: et hoc sub Nerone Imperatore.

§. 85. II. S. Linus, Italus natione, Volaterriis in

regione Tusciae ortus. Pontifex creatus Anno Christi 69., tam insignis sanctitatis fuit, ut S. Petrus ipsum Episcopum ordinaverit; atque sui pastoralis officii Coadjutorem in Urbe constituerit. Nam et Dæmones ejiciebat, et non solum infirmos curabat, sed et ipsos mortuos ad vitam revocabat. Scripsit res gestas D. Petri, praesertim contra Simonem Magum, et de Petri et Pauli agone libros duos. Ordinavit, ne sine velo mulieres Ecclesiam ingrederentur. Ejus tempore Josephus vixit, qui edidit multa de Judaeorum antiquitatibus, bello, et captivitate: ipsum Romam adduxerunt Titus, et Vespasianus ex Judaeorum debellatione redeuntes. Sedit annis 11. mens: 3. diebus 12., atque sub Nerone Imperatore, a Saturnino consule martyrio affectus fuit.

§. 86. III. S. Cletus Romanus. Anno 81. Christi, suasione D. Clementis Pontificatum suscepit, tantum onus antea recusans. Is primus fuit qui in litteris usus est his verbis: *Salutem et Apostolicam benedictionem*; atque ex præcepto Principis Apostolorum, viginti quinque Praesbyteros, scilicet Sacerdotes ordinavit. Ejus tempore D. Lucas professione Medicus, Antiochenus natione, sociusque Pauli in multiplici peregrinatione Evangelium scripsit cum Actibus Apostolorum. Sedit an: 12. mense uno, diebus 12. Martyr occubuit sub Domitiano, temporibus Titi, et Vespasiani.

§. 87. IV. S. Clemens I. Romanus è regione Cælii montis, ex Imperatorum genere. Pontifex factus fuit Anno 93. Hunc D. Petrus destinaverat in successorem suum, ut patet ex Epistola, quam ipse Clemens ad Jacobum scripsit; sed ipsius modestia, et humilitas fecerunt, ut ante eum Pontificatum tenerent Linus, et Cletus. Sedit an: 9. mens. 3. et 10. diebus, quo tempore multa scripsit accurate, et salubriter pro Christiana Religione; nec non plura constituit; nempe septem Urbis regiones septem No-

tariis divisit, qui passiones Martyrum, et res ab eis gestas diligentissime adnotarent, litterisque mandarent. Vestes Sacerdotales ad Missam celebrandam ordinavit. Constituit corporale in vase proprio lavari; nec desunt, qui eum aucthorem faciunt Canonis Missæ, et benedictionis frugum. In mare Clementem cum anchora ad collum ejus alligata jussit projici Trajanus.

De Pontificibus secundi sæculi.

§. 88. V. Sanctus Anacletus Graecus natione, Atheniensis scilicet. Anno 103. in Pontificem electus. Multa edidit decreta; praesertim ne barbam, et capillos longiores haberent Clerici; ne consecrarentur Episcopi sine tribus Coepiscopis; ut Clerici a proprio Episcopo publice Sacris Ordinibus initiarentur, et nè Clerici accusarentur, praeterquam ab idoneis, et probatissimis viris. Constituit ut Præsbyteri non sacrificarent soli, sed adhibitis testibus; idque in locis tantum Deo consecratis; atque ut in Missa, peracta consecratione, omnes communicarent. Praescripsit ut Episcopi quotannis limina Apostolorum visitarent. Sedit Annis 9. mens. 2. diebus 10. Martyrio coronatus est.

§. 89. VI. S. Evaristius natione Graecus; ex patre Judaeo, nomine Juda de civitate Bethleem. Pontifex factus Anno 112. Titulos Romae divisit Presbyteris; ordinavit ut septem Diaconi adessent praedicanti Episcopo, statuitque, nè populus in accusatione Episcoporum admitteretur; itemque constituit, ex traditione Apostolica, ut Matrimonium publice celebraretur, et Sacerdotis benedictio adhiberetur. Sedit Annis 9. mens: 10. diebus 2. Martyr decessit.

§. 90. VII. S. Alexander I. Romanus. Creatus Pontifex Anno 121. ordinavit, ut in Missa legerentur Epistola, et Evangelium; et ob memoriam Passionis Domini ante consecrationem diceretur, *Qui pri-*

die, quam pateretur, accepit panem et gratias etc. et post consecrationem: *Unde, et nos memores* etc. Modum faciendi aquam benedictam docuit, voluitque illam in domibus privatis reservari ad expellendos Daemones, et malas cogitationes repellendas. Mixtionem aquae cum vino in sacrificio Missae instituit, panemque azymum admitti tantum debere. Decrevit ut una tantum Missa in die celebraretur. Evangelia Passionis, eo ordine quo scripta fuerunt ab Evangelistis jussit legi in Hebdomada majori; nec non magnam partem Romanae Nobilitatis ad Christum, convertit. Sedit an: 10. mens: 7. diebus 2. Adriano Imperatore martyrio coronatus fuit.

§. 91. VIII. S. Sixtus I. Romanus, electus Anno 132. Hic Pontifex prohibuit laicis, et faeminis ne vasa sacra tangerent, decrevitque, ut in Missa diceretur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, etc.* Atque ut corporalia, nonnisi ex lino mundissimo fierent. Primus etiam fuit, qui in suis Epistolis Universalis Ecclesiae Episcopum se scripsit. Sedit an. 10. mens. 3. diebus 2.

§. 92. IX. S. Telesphorus Graecus Anachoreta, factus Pontifex, Anno 142. Hic renovavit observantiam Quadragesimae, temporibus Apostolorum institutae, quae pene extincta fuerat causa persecutionum in Ecclesiam grassantium. Praescripsit celebrari tres Missas in festo Nativitatis Domini, primam media nocte, cum scilicet Christus natus est; secundam in aurora, quando fuit a Pastoribus adoratus; tertiam hora diei tertia, quando dies redemptionis nostrae illuxit: Aliis vero temporibus celebrationem Missarum prohibuit ante nonam, qua hora Christus mortuus est, et Spiritus Sanctus super Apostolos descendit. Sedit an: 11. Mensibus tribus, diebus 22. Martyr occubuit.

§. 93. X. S. Hyginus Grecus, civis Athenîensis filius, Pontifex electus Anno 154. Patrinum, et matrinam

voluit adesse, dum baptismus fieret; atque insuper Clerum per gradus distinxit, ut alii superiores, alii inferiores essent· Presbyteri, et Diaconi, et alii Ordines. Sedit An: 4. mens: 3. diebus 4. Martyrio vitam finivit.

§. 94. XI. S. Pius I. Italus ex Aquileia. Creatus Pontifex Anno 158. familiariter conversabatur cum Hermete, qui illi libellum Pastorale nominatum dedicavit: in quo refert, quod Angelus Domini illi praeceperit, cum veniret ad eum in habitu Pastoris, ut Pascha die Dominica post Lunam Martii celebraretur. Primus fuit, qui Romae Templum consecravit, Thermas Novati dictum, domum scilicet Prudentis Senatoris., Sanctarum Virginum Prudentianae, et Praxedis Patris, apud quem S. Petrus cum Romam introisset, primo hospitio exceptus fuit. Hic Pontifex ritum velandi, et consecrandi Virgines introduxit; atque poenam in sacerdotem statuit, de cujus negligentia, aliquid de sanguine Domini effusum fuisset. Sedit An: 9. mens: 18. et diebus 4. Martyrio coronatus est.

§. 95. XII. S. Anicetus Syrus. Pontifex factus Anno 167. Anacleti Decretum confirmavit, quod Clerici barbam, et capillos non nutrirent, sed caput desuper in modum sphaerae raderent, ut Laicis essent exemplo pudicitiae et honestatis. Sedit Annis 8. Mensi: 8. diebus 25. Martyr decessit.

§. 96. XIII. S. Soter natione Campanus ex Fundis. Anno 175. Pontifex creatus fuit. Statuit ut faeminae etiam Deo sacratae vasa sacra non tangerent; idque adversus Montanum, qui fæminas quoque sacris mysteriis immiscebat: ut sacrificans secum saltem unum Sacerdotem sibi coadjutorem haberet: ut nullus post cibum, aut potum etiam minimum sacrificaret: ut nullus se abstineret ab Eucharistiae susceptione die Jovis in Coena Domini, praeter eos, qui propter aliquod grave peccatum id facere prohi-

berentur. Evaristi Pontificis decretum renovavit de benedictione sacerdotali, et Parentum consensu in Matrimoniis adhibendo. Sedit Annis 3. Men: II. diebus 18. sub Marco Aurelio Imperatore Martyrium subjit.

§. 97. XIV. S. Eleutherius natione Graecus. Creatus fuit Pontifex Anno 179. Hic rogatu Lucii Brittannorum Regis misit in Brittanniam Fugatium et Damianum, qui Regem, et reliquos ad Fidem converterunt. Sedit An: 15. diebus 23. atque in pace quievit. Epistolam ad Provincias Galliae scripsit, in qua edocet nullas escas esse vitandas: quia universas tribuit Dominus in cibos Fidelium.

§. 98. XV. S. Victor ex Africa, Pontifex fuit electus Anno 194. Sub eo multa Concilia de tempore Paschatis celebrandi congregata sunt, in quibus fuit definitum, hoc Festum celebrari debere Dominica sequente quartam decimam lunam Martii. Scripsit de Quaestione Paschae, et alia quaedam opuscula. Damnavit Theodorum Coriarium Byzantinum, qui docebat, Christum Dominum purum hominem fuisse, non Deum, atque de Ecclesia ejecit. Sedit Annis 9. Mens: 1. diebus 28. Martyrio sublatus fuit.

De Pontificibus tertii sæculi.

§. 99. XVI. Sanctus Zephyrinus Romanus, mortuo Victori, in Pontificatu successit Anno 203. Sanguinem Christi in vase vitreo non amplius ligneo consecrandum voluit, quod postea abrogatum fuit, et determinatum sola vasa aurea argentea, vel stamnea ad hoc esse apta. Sancivit, ut qui ordinandi essent, opportuno tempore, et multis praesentibus Clericis, et laicis de more initiarentur; doctique, atque spectatæ vitae homines ad id officii munus deligerentur. Decrevit praeterea, Episcopo rem Divinam facienti Sacerdotes omnes adstarent. Sedit Annis 18. diebus 18. Antonino Imperatore martyrio coronatus fuit.

§. 100. XVII. S. Callixtus I. Romanus Pontifex creatus Anno 221. Praecepit jejunium quatuor temporum, quod ex traditione Apostolica jejunebatur; voluitque in illis fieri Ordinationes, quae fiebant semel tantum in anno, mense Decembri scilicet. Insuper statuit, Clericos ad sacros Ordines promovendos abstinere ab uxoribus. Prohibuit Matrimonium inter consanguineos. Censuit Haereticos esse eos, qui affirmabant, Sacerdotes in aliquod grave crimen lapsos, licet poenitentiam egerint, ad pristinos honores redire non posse. Sedit An: 5. men: 1. diebus 12. Martyr decessit sub Alexandro Imperatore.

§. 101. XVIII. S. Urbanus I. Ad Pontificatum evectus Anno 226. Romanus. Multos hic convertit ad fidem, inter quos illustriores fuerunt Tiburtius, et Valerianus sponsus S. Ceciliae. Jussit fieri ex argento, vel auro vasa pro sacro ministerio. Sedit annis 6. mens. 7. diebus 4. Martyrio coronatus fuit.

§. 102. XIX. S. Pontianus Romanus. Pontificatum suscepit Anno 233. Hic instituit Psalmos die ac nocte in Ecclesia cantari; voluit Missæ a Sacerdote *Confiteor* praemittendum. Sedit an. 9. mens. 5. diebus 2. In Sardiniam Insulsam relegatus a Maximino, ibi postea mactatus est.

§. 103. XX. S. Antherus ex Graecis Pontificatum tenuit ab Anno 237., sed quot annis sederit, plane incertum est. Platina asserente, ipsum sedisse an. 11. mense uno, diebus 12. et Galtero dicente, intra mensem primum sui Pontificatus martyrio coronatum fuisse; eo quod Notarios instituerit, qui gesta Martyrum describerent. Declaravit Episcopum de Diœcesi in Dioecesim transire posse, sed sola necessitatis, non utilitatis propriae causa.

§. 104. XXI. S. Fabianus Romanus ad Pontificiam dignitatem fuit evectus an. 238. Dum ageretur de Pontificis electione, columba super illum apparuit, quae suae electionis fuit causa. Frivatum haereticum

excommunicavit, et sanctum Chrisma singulis annis confici voluit die Jovis sancta. Septem Diaconis septem Urbis regiones divisit, qui pauperum curam haberent. Totidem Subdiaconos creavit, qui res gestas Martyrum a septem Notariis per Clementem institutis scriptas colligerent, et in ordinem redigerent, Presbyteros illiteratos celebrare vetuit. Sedit Annis 15.

§. 105. XXII. S. Cornelius Pontificatum suscepit Anno 254. Sub eo primum schisma advenit. Cum enim Novatianus Romanus vidisset Cornelium ad sedem Petri promotum esse, ex ea ipsum dejicere voluit, et clandestina trium Episcoporum electione se intrusit in Pontificatum, opera Novati Episcopi Africani, qui Romam accesserat, ut Ecclesiam perturbaret; unde multa crimina contra Cornelium adinvenit, ut ab eo Episcopi alienarentur. Hoc tempore duae contrariae haereses, obortae sunt, Novatianus nullum admitti volebat in Ecclesiam, qui antea à fide defecisset, quacumque poenitentia praemissa: Felicissimus vero praetendebat, etiam ante poenitentiam factam, omnes illico admitti debere. Sedit Ann: 2. mens: 2. diebus 3. Capitis abscissione martyrium consumavit.

§. 106. XXIII. S. Lucius II. Romanus: Anno 256. ad Pontificatum assumptus; Praecepit, ut duo Presbyteri, et tres Diaconi in omni loco, et tempore Episcopum comitarentur, propter testimonium probatae vitae, et ad vitandas Hæreticorum imposturas; id quod ab Evaristo jam antea praescriptum fuerat. Sedit Anno 1· mens: 8.

§. 107. XXIV. S. Stephanus I. Romanus in Papam electus Anno 257. Decrevit, Hæreticos non esse rebaptizandos; intellige de illis, qui forma Ecclesiae consueta baptizati forent. Instituit, ut vestimenta ad usum sacrorum benedicerentur; neque iis, nisi in Ecclesia Sacerdotes, et Diaconi uterentur; Saeculares vero nullatenus eas usurpare posse asseruit.

Sedit Annis 3. mens. 5, Diebus 2. ad Templum Martis ductus, Templum oratione subverti fecit fulgure, et tempestate, postea vero sacrificans inventus, decollatus est.

§. 108. XXV. S. Xixtus II. Graecus ex Athenis in Græcia oriundus. Ante Pontificatum, ex Hispania Romam veniens, secum perduxit S. Laurentium Archidiaconum, quem inter alios, prædicatione ad Christi Fidem converterat. Pontifex inauguratus fuit Anno 260. Sedit Mens: II. diebus 12. Martyrii palma decoratus est, et tertia die post ipsius mortem, ejus Diaconus Laurentius, martyrium quod ipsi antea promiserat, subiit.

§. 109. XXVI. S. Dionysius ex Monacho Papa factus Anno 261. Presbyteris Ecclesias divisit, Parochiasque constituit, et Diœceses. Scripsit adversus Arianos, et Sabellianos de Deo, SS. Trinitate, et Christi Divinitate. Sedit An: 12.

§. 110. XXVII. S. Felix I. Romanus Pontifex electus Anno 272. Ordinavit, ut in sacro loco et super sepulchra, et memorias Martyrum semper sacrificaretur, nisi gravi instante necessitate. Quod si talia sepulchra et memoriae Martyrum non essent, ponerentur Martyrum Reliquiae sub Altare. Sedit annis 2.

§. 111. XXVIII. S. Eutichianus Tuscus ad Pontificatum evectus Anno 275. Propria manu 312. Martyres sepelivit, ordinavitque benedictionem fructuum, et specialiter racemorum, in condemnationem Manichaeorum, qui eos ex malo principio ortos praedicabant. Sedit Annis 8. et sex mensibus.

§. 112. XXIX. S. Cajus Dalmata ex genere Diocletiani Imperatoris, ipsius Fratris filius. Pontificatum assumpsit Anno 283. Hic distinxit Ordines per gradus, incipiendo ab Ostiariatu usque ad Episcopatum; prohibuitque, ne quis ad Episcopatum ascenderet, nisi antea his omnibus insigniretur. Sedit Annis 12. Mens: 4. diebus 5.

§. 113. XXX. S. Marcellinus Romanus Pontifex creatus Anno 296., in illa immani persecutione Diocletiani regens Ecclesiam, ab infidelium Ministris coactus, et ingenti timore perterritus, gentilium simulacris thus adhibuit; Ast mox facti, tanto cordis dolore commotus fuit, ut in Concilio Sinuessano, cinere conspersus, et cilicio circonvolutus, condignam a Patribus poenitentiam petierit. Renuente autem Concilio ipsum condemnare: *Quia prima Sedes a nemine judicatur*; Ipse ad Diocletianum audacter accessit, objiciens illi sua crimina; unde ab illo ad mortem damnatus fuit. Sedit annis 7. Mensibus 11. diebus 23. (1).

---

(1) Quidquid sit de dicto S. Marcellini facinore, sive scilicet verum, ut testantur Nicolaus I. *in Epist: ad Michael: Imper*: Gratianus in dist: 21. Cap: *Nunc autem testatur.* S. Antoninus *Parte 1. Hist: III. 8.* et Breviarium Romanum ad diem 26. Aprilis, cum multis aliis; sive prorsus commenditium, ut volunt Natalis Alexander, Pagi, aliique Recensiores, nihil ex eo pro Heterodoxorum causa adversus Romanorum Pontificum in definiendis, quæ fidei et morum sunt controversiis, infallibilitatem, eruitur. Siquidem esto Marcellinus incensum Idolis dederit, non ideo a fide ipse defecit, neque aliquid tunc contra fidem, ex Cathedra, et ut Pontifex loquens, credendum fidelibus proposuit, sed actum solummodo externum infidelitatis exercuit; proinde peccator, sed non Haereticus fuit, quia namquam interne falsum aliquod dogma tenuit, neque incensum Idolis exhibendo, intra se credebat in illis divinitatem revera esse, sed ut pro tunc tormenta, et mortem effugeret. Ceterum sciebat inania illa esse simulacra, et quod Dæmonia esset omnes Dii gentium.

§. 114. XXXI. Sanctus Marcellus I. Romanus. Anno 304. Pontifex electus. Scripsit Epistolam ad Episcopos Antiochenae Provinciae de Primatu Ecclesiae Romanae, in qua illud legitur: *Nullum Concilium jure celebrari, nisi ex auctoritate Romani Pontificis.* Hujus suasione Priscilla, et Lucina sanctæ atque nobiles matronae Romanae, eximia Christianae Religionis opera fecerunt. Nam illa suis sumptibus Coemeterium extruendum curavit; ista vero erexit Ecclesias; quod audiens Maxentius Imperator, Lucinam relegavit in exilium, Marcellum vero carceribus mancipavit, in quibus squallore oppressus, martyr sine sanguine decessit. Sedit Ann: 5.

§. 115. XXXII. S. Eusebius Græcus. Creatus Pontifex fuit Anno 309. Sub eo Crux Christi Jerosolymis a S. Helena 5. Nonas Maji inventa est, et festum de ejus Inventione institutum. Decrevit Altaris sacrificium, non in panno serico, aut tincto perfici debere, sed in puro lineo ab Episcopo benedicto, eo quod corpus Domini in Sindone munda sepultum fuerit. Sedit Ann: 2. Mens: 7.

§. 116. XXXIII. S. Melchiades Afer Pontificiam obtinuit Dignitatem Anno 311. Nonnulla decrevit, quae hodie in usu non sunt. Constituit pariter, candelabra in Altaribus poni. Jussu Maximiani martyrio addictus fuit. Sedit annis fere 2.

§. 117. Hic notandum est, omnes præcedentes Pontifices cum isto, qui fuit vigesimus tertius subiisse martyrium, postea vero Ecclesiæ persecutio cessavit ob mortem Diocletiani, et Maximiani, quibus successit Constantinus primus Imperator Christianus.

§. 118. XXXIV. S. Silvester I. Romanus Pontifex factus Anno 314. latuit aliquo tempore in montem Soractem, Imperatoris adhuc Pagani persequutionem fugiens; ex quo rediens postea baptizavit Constan-

tinum. Eius authoritate adjutus, Concilium indixit Nicææ Bithyniæ; in quo Arius, Photinus, et Sabellius damnati fuerunt. Sub hoc Pontifice, facultas Christianis facta est Templa publice construendi, et ipse primus fuit, qui Ritus instituit Ecclesias consecrandi. Nonnulla pariter decrevit Ecclesiæ utilia; inter quæ ut Chrisma a solo Episcopo conficeretur; ut Presbyter summum baptizati verticem chrismate linitet; ut Diaconi Dalmaticis, et palla linostina (hodie manipulum) ad lævam in Ecclesia uterentur; atque ut in lineo tantum velo altaris Sacrificium conficeretur. Tempus quoque præscripsit omnibus, qui Ordinibus initianadi essent, antequam quisque ad altiorem gradum ascenderet. Sabbati, et Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies, feriarum nomine distinctos, quod jam fieri cœptum erat, appellari voluit. Primus inter Pontifices mitra usus fuit, quæ postea ab aliis Pontificibus exornata fuit. Sedit an: 23. mens: 11. dieb: 11.

§. 119. XXXV. S. Marcus Romanus creatus Pontifex Anno 336. Ordinavit, non quod Episcopus Ostiensis consecraret Pontifices, hoc enim multo antiquius erat, sed ut pallio insigniretur; pallium vero maximæ authoritatis signum erat, soli Summo Pontifici proprium, sed ipsum pro libito confert, maxime Archiepiscopis. Statuit etiam Symbolum Concilii Nicæni, post Evangelium decantandum esse in Missis solemnioribus. Sedit mens. 8.

§. 120. XXXVI. S. Julius Romanus, ad Petri sedem assumptus fuit Anno 336. Celebrari fecit Romæ Concilium 116. Episcoporum contra Arium, et eius discipulos, qui non obstante Concilii Nicæni damnatione, Athanasium relegaverant, fulti authoritate Constantii Imperatoris Ariani. Sedit an. 15. mens. 2.

§. 121. XXXII. S. Liberius Romanus ad Pontificatum assumptus fuit Anno 352. sub Constantio Con-

stantini filio; à quo ejectus est in exilium, eo quod hæresi Arianæ subscribere nollet. Eo durante in exilio, Sacerdotes elegerunt Felicem, qui damnavit Ursacium, et Valentem Arianos Presbyteres. De lapsu ejus, alibi (§. 71.) dictum est. Plura ad Ecclesiasticum disciplinam spectantia constituit, inter quae, ut durante Quadragesimali jejunio, a conjugiis celebrandis fideles abstinerent. Sedit Ann: 15.

§. 122. XXXVIII. S. Felix II. Romanus Pontifex electus fuit Anno 357. Licet ab initio fuerit intrusus, mortuo autem Liberio, legitime in Pontificem confirmatus fuit. Et postquam infregit omne commercium cum Arianis, ab illis occisus est. Sedit Ann: 1. mens: 3. Martyr decessit.

§. 123. XXXIX. S. Damasus I. Lusitanus ad Pontificatum assumptus fuit Anno 367. Ordinavit, ut decantarentur Psalmi in Ecclesia cum *Gloria Patri* in singulorum fine. Huius tempore aliqua Schismatis species oborta est; nam Ursinus, seu Ursicinus voluit fieri Pontifex, collecta seditiosorum turba: unde alterutrum defendentibus populis, humano sanguine multa loca, etiam sacra, repleta fuerunt, nihilominus tamen ejectus est Ursinus, et Damasus remansit, qui primus versioni Hieronymi dedit authoritatem, cum antea sola Septuaginta interpretrum versio in pretio esset. Hoc etiam Pontifice habitum est Concilium Constantinopolitanum Oecumenicum contra Macedonianos, Divinitatem Spiritus Sancti negantes. Sedit Ann: 17.

§. 124. XL. S. Syricius Romanus Petri Catedram obtinuit Anno 385. Hujus tempore vixit D. Hilarius Pictaviensis Episcopus, qui 12. libros adversus Arianos conscripsit. Statuit Syricius, ut Baptismus non celebraretur, nisi in Paschate, et Pentecoste. Dicitur quod fuerit auctor partis Canonis: *Communicantes, et memoriam venerantes* etc. Interstitia in Ordinum Ecclesiasticorum susceptione ser-

vari praescripsit. Bigamum, et qui viduam duxisset, Sacerdotem fieri prohibuit. Sedit Annis 13.

§. 125. XLI. S. Anastasius I. Romanus, creatus Pontifex Anno 398. Condemnavit errores Origenis; Statuit quod assistentes Missæ starent, dum legeretur Evangelium: prohibuitque, ne extranei admitterentur ad Ordines, nisi à proprio Episcopo chirographum signatum haberent; atque hinc ortum habuere *Litteræ Dimissoriales*; idque propter Manichæos, qui suos ad Ordinationes Christianorum admittebant, ut fidem eorum currumperent. Sedit Ann. 4.

De Pontificibus, qui in quinto sæculo regnaverunt.

§. 126. XLII. Sanctus Innocentius I. Albanensis Pontificiam Sedem assequutus est Anno 402. Hic Arcadium, et sponsam suam Eudoxiam D. Chrysostomum persequentes, excommunicavit, pœnitentes vero postea absolvit. Ursaicum Chrysostomo suffectum damnavit cum sibi adhærentibus Episcopis, Pelagiumque Mönachum, et Cælestium, qui in detrimentum gratiæ, libero arbitrio fovebant. Ordinavit servari Hostiam consecratam in die Parasceves. Præscripsit: *Pax domini sit semper vobiscum*; jussit omnibus dari pacem in Missa. Sub hoc Pontifice floruit S. Hieronymus. Sedit an: 15.

§. 127. XLIII. S. Zosymus Græcus, factus fuit Pontifex Anno 417. Sub hoc Pontifice Alaricus Gothorum Rex Romam invasit. Prohibuit, ne ex illegitimo concubitu procreati Ordinarentur, Cereum Paschale sacravit, et Clericis tabernas prohibuit. Sedit Anno 1. Mensibus 4. diebus. 7.

§. 128. XLIV. S. Bonifacius I. Romanus in Papam Anno 418. electus fuit. Contra illum Eulalius Archidiaconus insurgens, favore Symmachi Urbis Praefecti, Pontificatum occupat; Sed Imperatore Honorio agente, ab Urbe Eulalius cum suis expulsus, Bonifacius

ut legitimus Pontifex habitus Ecclesiam gubernavit. Instituit, ut in Missa feriæ V. in Cœna Domini, ob lætitiam institutionis Eucharistiæ: *Gloria in excelsis Deo* caneretur. A Sacris Ordinibus, debiles quoque, claudos, atque debitis intricatos arcuit; Vigilias Sanctorum, uti fuerant in more, sustulit, retento tantum nomine cum jejunio. Hujus tempore moritur D. Hieronymus in Bethleem ætat. 91., insurrexitque in Ecclesiam Julianus Pelagianus, qui duas epistolas conscripsit, quas ad Augustinum misit Bonifacius, ut illi responderet; quod fecit illicò Augustinus per libros contra Julianum Bonifacio dedicatos. Sedit Annis 5.

§. 129. XLV. S. Coelestinus I. Romanus Pontifex consecratus fuit Anno 423. Hujus tempore celebratum est Concilium Ephesinum contra Nestorium, in quo damnato Nestorio Diva, Virgo Maria *Theotocon*, hoc est Deipara dicta fuit; atque tunc primum ergà tam excelsam Dei Matrem fidelium devotio augeri coepit; et salutationi Angelicae additum fuit: *S. Maria Mater Dei ora pro nobis* etc. Statuit, ut ante Missam a Sacerdote diceretur Psalmus: *Judica me Deus* etc: Inseruit Missae *Introitum*, *Graduale*, *Tractum*, *offertorium*; item quinque Psalmos instituit, qui pro Missae praeparatione praescibuntur. A pueritia educatuis fuit in Monasterio, invitusque ordinatus fuit in Episcopum. Dum esset autem Pontifex, in Angliam, ubi se receperat Pelagius, misit D. Germanum Antisiodorensem, D. Lupum Trecensem, et D. Severum Trexicensem, ut huic haeretico resisterent. Sedis Annis 8.

§. 130. XLVI. S. Sixtus III. Romanus, electus Anno 432., fuit Pontifex summae liberalitatis erga pauperes; atque in aedificandis, et dotandis Ecclesiis profusus. Accusatus ab Anicio Basso, accusationis judicium sponte ad Concilium devolvit, à quo mox justificatus fuit, et Bassus condemnatus. Hoc Ponti-

fice, Eudoxia Romam detulit catenam, qua S. Petrus ab Herode vinctus fuerat, atque Sixto obtulit, qui aliam catenam ei monstravit, qua idem Apostolorum Princeps a Nerone Romae constrictus fuerat: quibus collatis, ita inter se se connexae fuerunt, ut non duae, sed una catena ab eodem artifice confecta esse videretur. Per id tempus apparuere Haeretici *Prædestinatiani*, qui asserebant solis praedestinatis sicuti opera bona prodesse, ita impiis peccata non obesse. Sedit Annis 8.

§. 131. XLVII. S. Leo I. Tuscus, creatus Pontifex Anno 440., Doctrina, et Virtute eximius fuit, et ob hoc Magnus cognominatus. Ejus tempore contra Eutychetem congregatum est Concilium Chalcedonense Œcumenicum, in quo duae in Christo Naturae proclamatae sunt, et Manichaeorum libri combusti. Ecclesiam ab haereticis penè discerptam restituit; reverentiam Sanctorum imaginibus decrevit sub anathemate; secretaeque Missae addidit haec verba, *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*. Ipsius etiam tempore usurpari cœpit Trisagion, *Sanctus deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis*; idque ob ingentem terraemotum, ex quo Urbes plurimae, et praesertim Constantinopolitani muri cum 77. turribus corruerunt. Sedit Annis 21.

§. 132. XLVIII. S. Hilarius Sardus electus Pontifex Anno 461. Plura gessit. Tres universales Synodos, Nicænam, Ephesinam, et Calcedonensem confirmavit, Eutychem damnavit, et Nestorium, Principatum sanctae Ecclesiae Romanae approbavit, cogitque anathema Imperatorem, ut impediret conventicula, quae Romae Manichaei congregare praetendebant. Pontifex fuit miræ libertatis tum erga Ecclesias, quas sive a fundamentis erexit, sive ditavit, aut ornavit, cum erga pauperes. Constituit, ut nullus illiteratus in Clericum ordinaretur; atque triduanas solemnes litanias ante Ascensionem Domini comprobavit. Sedit fere Annis 7.

§. 133. XLIX. S. Simplicius Tiburtinus, Anno 467. Pontifex creatus, prohibuit Clericos recognoscere beneficium a Laicis. Romam in quinque Ecclesias distribuit, scilicet D. Petri, D. Pauli, D. Laurentii, D. Joanni Lateranensis, et S. Mariae Maioris. Primatum Ecclesiae Romanae confirmavit. Sacras ordinationes babere quoque voluit Sabbato quatuor temporum Quadragesimae. Sub eo, nempe Anno 480. Nurciae ortus est S. Benedictus Abbas. Sedit an. 15.

§. 134. L. S. Felix III. ex nobili Aniciorum familia Canonicus Regularis. Ad Pontificatum assumptus Anno 483., audiens Acatium Constantinopolitanum, fraude ab exilio revocasse Petrum Eutychianum, utrumque damnavit. Hujus tempore, ortum habuere Haeretici *Theoposchitae* sic dicti, quia filii Divinitatem passam esse dicebant; Unde post illud Trisagium *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis* addebant: *Qui passus es pro nobis*. Circa annum vero 485. Auctore *Xenaias* Persa orti sunt Iconomachi, hoc est Sanctarum Imaginum hostes. Sedit Annis. 9.

§. 135. LI. S. Gelasius I. Afer, factus Pontifex Anno 492. Romam à fame imminente præservavit; Hymnos composuit; Anastasium Imperatorem Constantinopolitanum Haereticis faventem excommunicavit; sicut et Vvandalorum Regem, qui partes Arianorum tenebat. Multa insuper fecit decreta, praesertim super sacram Scripturam, Scriptores Ecclesiasticos, et Concilia, quorum aliqua approbavit, reprobavit alia. Non solum in Sabbato quatuor temporum Quadragesimae, sed in aliis quatuor temporum Sabbatis Ordines Sacros conferri voluit. A Præsbyterato arcendos esse statuit biganios, atque membro aliquo mutilatos, aut sinistro oculo carentes. Præcepit insuper Sacerdotibus ne unquam corpus sine sanguine consecrarent, nec nisi tantum in Missa consecrationem efficerent. Decem Praefationum, quae

in variis Missis canuntur, auctor fuit. Sedit Annis 4. mens. 9.

§. 136. LII. Anastasius II. Romanus. Ad Pontificatum Anno 496. fuit assumptus. Hic misit Legatos ad Anastasium Imperatorem, ut nomen Acatii aboleret; cui semper favens Imperator, et cum Photino complice communicans, excommunicatus est. Cum denique Pontifici semper resisteret, punitione divina, viscerum effusione, mortuus est. Sedit Annis fere 2.

§. 137. LIII. S. Symmachus Sardo Anno 498. cum contentione magna fuit ordinatus; alii enim Symmachum elegerunt in Lateranensi Ecclesia, alii alium, nomine Laurentium, in Basilica B. Mariae. Ob hoc apud Ravennates congregatum fuit Concilium, in quo Symmachi electio confirmatur, Theodorico Rege præsente. Fertur, Symmachum, Eugenium Episcopum Carthaginensem cum 220. Episcopis sustentasse in Sardinia proscriptos à Trasamundo Vandalorum Rege. Constituit diebus Dominicis, et Natalitiis Martyrum cantari *Gloria in Excelsis Deo.* Ab eo beneficia Ecclesiastica ortum habuisse fertur. Sedit 15. Annis.

De Pontificibus sexti sæculi.

§. 138. LIV. Sanctus Hormisdas Campanus Pontifex creatus Anno 514. Regibus fuit charus, haereticis exosus, et in Ecclesiam magnificus. Huic Clodovaeus Francorum Rex, jam sub Symmacho Christianam Fidem amplexus, auream coronam gemmis ornatam misit. Praecepit Joanni Episcopo Constantinopolitano ut ab haeresi Eutychianorum desisteret, quod Joannes, facere recusavit quia ipsi prorsus favebat Anastasius Imperator, qui ob hoc, fulmine percussus, interiit. Sedit in Pontificatu Annis 9.

§. 139. LV. S. Joannes I. Tuscus Anno 523. evectus fuit ad Sedem Pontificiam. Sub hoc Pontifice or-

tum habuere Haeretici dicti *Phantasiastae*, qui nempe asserebant Christi corpus non vere, et realiter, sed apparenter tantum, et phantastice dolores, atque tormenta substinnisse. Hujus Sectae auctor dicitur *Julius* quidam, seu *Julianus* Episcopus Halicarnasseus. Fuit Joannes Pontifex zelo Religionis vere incensus. Ex omni parte expellebat Arianos, illorumque Ecclesias veris Christianis restituebat; quod aegre ferens Theodoricus Rex, coegit Joannem adire Imperatorem Justinum Constantinopoli sedentem, misitque cum eo duos oratores, qui suaderent Imperatori restitutionem Ecclesiarum, quae ablatae fuerant Arianis, quantum ex una parte facere recusavit Justinus quod Theodoricus petierat, tantum honore affecit Joannem Pontificem; cui se submisit, voluitque manibus illius coronari. Atque is fuit primus qui a Romano Pontifice fuit coronatus. Ex quo deinde a Carolo Magno ritus invaluit, et consuetudo, ut Imperatores a Romanis Pontificibus coronarentur. Quod cum nimis moleste ferret Theodoricus, rediens Pontifex, in carcerem conjicit apud Ravennam, ubi fame, et foetore interiit. Sedit Annis 2. mens. 9.

§. 140. LVI. S. Felix IV. Samnius. Pontifex nominatus Anno 526., per spatium 58. dierum dilata fuit ejus confirmatio, quia illius nominationem tyrannice Theodoricus usurpaverat. Hic statuit, seu potius confimavit Sacerdotes, nonnisi in locis Deo Sacris, Missam debere celebrare. Ex D. Iacobi, aliorumque Apostolorum doctrina, jussit infirmos ante mortem ungi Oleo Sancto. Sub eo floruit S. Benedictus, qui Anno 529. celebre Montis Cassini Monasterium aedificavit. Sedit Annis 4.

§. 141. LVII. Bonifacius II. Romanus Anno 530. Ordinatus est cum Dioscoro, unde ex divisione Cleri, schisma fuit inter utrumque per spatium 29. dierum, quo tempore mortuus est Dioscorus, et quievit seditio. Sedit Annis 2.

§. 142. LVIII. Joannes II. creatus Pontifex Anno 532. Excommunicavit Contumeliosum Episcopum in Gallia, et ejus Dioecesim D. Cæsario Arelatensi Episcopo commendavit. Anathemate etiam percussit Anthimum Constantinopolitanum Episcopum, hæresim Arii profitentem. Romae Concilium habuit pro resolvenda quaestione: An unus de Trinitate passus dici debeat? Et post annum statutum fuit posse dici; sed securius est addi, passum in carne. Sedit fere tribus Annis.

§. 143. LIX. S. Agapetus I. Ad Pontificatum fuit assumptus Anno 535. Ipsum misit Theodatus Gothorum Rex ad Imperatorem Justinianum, ut cum illo reconciliaretur Rex, qui jusserat in exilium mitti Amalasunthem Atalantis Regis matrem, atque ibi illam occidi: Hoc facile impetravit ab Imperatore Pontifex, sicut et resipiscentiam suam ab hæresi Eutychetis. Hic ritum induxit catholice expiandi, quod ab Haereticis fuerat pollutum. Hoc Pontifice orta est Tritheitarum Secta, cujus Aucthor fuit *Joannes Grammaticus* ex Alexandria, cognomento *Philoponus*. Sedit An. 2.

§. 144. LX. S. Silverius Campanus, legitimo matrimonio ex Hormisda ante Ordinationem procreatus, Anno 537. in sedem Romanam intrusus fuit, authoritate Theodati Regis; et ob hoc à Clero Romano reprobatus; demum tamen approbatus fuit ad vitandum schisma. Sedit Annis tribus. A Bellisario in exilium pulsus ad Insulam Pontiam, ibidem pro fide Catholica, ærumnis confectus, decessit.

§. 145. LXV. Vigilius Romanus, Joannis Consularis nobilissimi filius. Anno 540. factione Theodoræ Imperatricis hæreticæ ad sedem evectus est, vivente Silverio, a quo excommunicatus fuit, sed post mortem Vigilii, à Clero Romano legitime creatus est Pontifex, cum vitam omnino immutasset: et postquam ad Pontificatum pervenit, fortiter se op-

posuit hæreticis, non obstantibus comminationibus Belisarii, et Theodoræ. Praescripsit quod verba Consecrationis, quæ olim a Sacerdotibus alta voce in Missa dicebantur, secreto atque devota attentione dicerentur. Volunt aliqui ipsum auctorem esse Capitulorum, quae passim in Horis Canonicis leguntur. Sub ipso ortum habuere *Monothelitæ*, eorum primo aucthore Eutychete. Primitus dicti *Monophysitæ*, quia unam tantummodo naturam in Christo agnoscebant. Postea vero *Monothelitæ* appellati, quia unam voluntatem in Christo admittebant, et unam operationem. Novi hujus erroris Magistri fuere *Sergius* Episcopus Constantinopolitanus, et *Cyrus* Episcopus Alexandrinus, quibus postea sequenti Sæculo adhæsit Pyrrhus. Sedit Vigilius in Pontificatu Annis fere 17.

§. 146. LXII. Pelagius I. Romanus Pontificatum suscepit Anno 555. Ordinavit, quod hæretici, et Schismatici a Sæcularibus iudicibus condemnari possent. Horas Canonicas ab Ecclesiasticis quotidie persolvendas constituit. Missam Conventualem jejunii tempore post Nonam celebrandam esse decrevit. Vetuit ne quis pecunia, aut promissionibus ad Ecclesiasticos ordines promoveretur. Sedit Annis fere quinque.

§. 147. LXIII. Joannes III. Romanus. Ad Pontificatum pervenit Anno 559. Sanctorum cæmeteria reparavit: Ædem Apostolorum Jacobi, et Philippi a Vigilio incoatam absolvit. Hoc Pontifice Longinus Patricius cum Exarchæ titulo in Italiam venit, quo Romani Consules sublati fuere. Ordinavit hic Pontifex, ut qui bona Ecclesiastica injuste usurpasset, quudruplum restitueret. Sedit Annis 13.

§. 148. LXIV. Benedictus Romanus, post decem menses Sedis vacantis, bellorum causa, ad Pontificatum Anno 573. promotus est. Sed post quatuor Annos Pontificatus, dolore moritur, videns Longobardos Italiam cum Roma invasisse.

§. 149. LXV. Pelagius II. Romanus, sine appro-

batione Imperatoris, quæ necessaria pro tunc habebatur, Pontifex creatus fuit: Anno 577. Unde postea misit Constantinopolim S. Gregorium, quasi ut veniam peteret, et illico ipsius electio rata ab Imperatore habita fuit Statuit, nullum Patriarcham, vel Archiepiscopum assumere posse titulum *Œcumenici* cum illud soli tantum Romano Pontifici, ex D. Petri privilegio, conveniat. Hic Pontifex obligavit Clericos in Sacris constitutos ad quotidie, sub peccato, recitandas Horas Canonicas. Postquam 12. Annis Ecclesiam rexisset, pestilentia decessit.

§. 150. LXVI. S. Gregorius Magnus Romanus. Ex sæculari factus Monachus, ex Cardinali, Anno 590. fit Pontifex cum summo gaudio populi, et Cleri eligentis; consecratus tamen non fuit, nisi post sex menses; dum advenit confirmatio Imperatoris. Hæreticos fortiter expugnavit; honorem voluit deferri quatuor primis Conciliis ut Evangelio; et superbiam repressit Joannis Constantinopolitani, qui se Œcumenicum Episcopum, seu Universalem vocabat; ubi ipse Gregorius nominari voluit *Servus servorum Dei*. Admirabilia sunt, ut legitur in Breviario Romano ad diem 12. Martii, quae hic Pontifex dixit, fecit, et scripsit. Ecclesiam gubernavit Annis 13. Mens. 6. diebus 10.

De Pontificibus septimi sæculi.

§. 151. LXVII. Post D. Gregorium, creatus fuit Pontifex Sabinianus Tuscus an. 604. Iste tantam invidiam conceperat in D. Gregorium, ut libros ipsius incendio voluerit destinare. Horas diei tintinnabuli sonitu distinguere, atque tempus et horas Divini Officii, pulsu Campanae praesignari voluit. Sedit ferè Anno 1.

§. 152. LXVIII. Bonifacius III. Romanus, post vacantiam unius fere anni, ascendit Sedem Apostolicam

Anno 606, quanto vero tempore sederit, controvertitur inter Doctores, Platina teriente, ipsum regnasse mens. 9., aliis aliter sustinentibus. A Phoca Imperatore obtinuit, quod sedes Romana Œcumenica et prima omnium diceretur, quem titulum usurpaverat Constantinopolitana, malis Imperatoribus sustinentibus, eo loco primam sedem esse debere, ubi caput erat Imperii. Romæ Concilium celebravit, in quo sub anathemate decrevit, ne quis in demortui cujusvis Episcopi substitutione tractaret, nisi saltem die tertia post ejus obitum. Sub eadem etiam pœna vetuit, ne quis simoniace ad Episcopatum, aut Pontificatum promoveretur.

§. 153. LXIX. S. Bonifacius IV. ex urbe Valeria apud Marsos natus, Medici filius, Anno 607. Obtinuit à Phoca Templum, Pantheon antea vocatum, quod mutavit in Ecclesiam B. Mariae, et omnium Martyrum. Sedit Annis 8. Mens. 8. diebus 20.

§. 154. LXX. S. Deusdedit, seu Theodatus Romanus, ad Pontificatum evectus fuit Anno 615. Fuit vir tantae virtutis, ut leprosum deosculando, illico sanaverit. Impedimentum affinitatis spiritualis constituit. Simoniacorum hostis infensissimus fuit. Sedit Annis 3.

§. 155. LXXI. Bonifacius V. Neapolitanus, ad Pontificatus apicem pervenit Anno 618. Ad Ecclesias confugientes immunitate donavit. Sub illius Pontificatu Mahumetes Arabs, ex patre Pagano, et matre Judaea, magnum incendium excitavit in Christianos. Sedit Annis fere 8.

§. 156. LXXII. Honorius I. Campanus. Anno 626. Pontificatum suscepit. Fortunatum Patriarcham haereticum expulit, cui Primogenitum substituit. Basilicam D. Petri reparavit, eamque ex ære cooperire fecit. Ab hujus Pontificis tempore, Rex Hispaniae *Catholicus* cognominari cœpit. Sedit Annis 12., et diebus aliquot.

§. 157. LXXIII. Severinus Romanus. Anno 638.

Pontifex creatus, ab Exarcha Italiae confirmatus fuit; populi enim, et Cleri electio rata non habebatur, nisi accederet confirmatio Imperatoris, aut Exarcharum. Sedit Anno 1.

§. 158. LXXIV. Joannes IV. Dalmata. Ad Pontificiam Cathedram evectus fuit Anno 639. Heraclium Imperatorem acriter objurgavit, eo quod Monothelitarum errori faveret. Romae Concilium coegit, in quo damnata fuit Expositio, quam Sergius haereticus Episcopus Constantinopolitanus publicare faciebat sub Imperatoris nomine. Sedit An: 1. et 9. Mens.

§. 159. LXXV. Theodorus II. Graecus Pontifex creatus fuit 641. Ad eum inter fluctus Ecclesiae, Orientales Epistolas Synodales miserunt, quibus ipsum *Patrem*, et *Papam universalem* nominabant. Pyrrhum in Monatholitarum haeresim relapsum deposuit atque damnavit. Sedit fere 7. Annis.

§. 160. LXXVI. S. Martinus I. Tuscus Pontificiam dignitatem obtinuit Anno 649. A Constantino Imperatore requisitus, ut subscriberet edicto cuidam faventi Monothelitis, hoc fortiter recusavit; immò congregavit Romae 120. Episcopos, et cum illis damnavit Theodorum, Tyrum, Sergium, Pyrrhum, et Paulum Monothelitas. Hoc audiens Imperator Romam misit ducem Olympium, ut ex parte Imperatoris cogeret Papam ad subscriptionem edicti, vel illum carceri manciparet, ad hoc, ut durante ejus captivitate, alii Praelati reciperent jussa Principis. Cum autem non potuisset Olympius separare caput à membris jussit alteri, ut vi Martinum trucidaret, ab illo S. Eucharistiam recipiendo in templo B. Mariae ad praesepe; quod exequi non potuit ob subitam excoecationem. Postea tamen ductus est Constantinopolim, ubi exilio, fame, et aerumnis consummatus, martyrium complevit. Sedit An. 6.

§. 161. LXXVII. S. Eug. I. Romanus: Anno 654. Pontificatum suscepit. Sedit an. 2. mens. 6. dieb. 24.

Hic fuit benignitate illustris, sed pietate illustrior. Decrevit tamen, Episcopos habere carceres ad Clericorum delicta punienda.

§. 162. LXXVIII. S. Vitalianus Signiensis in Campania. In Pontificem electus fuit anno 655. Fuit hic Musicæ peritus, et Cantum Ecclesiasticum ad Organorum consonantiam ordinavit. Sub eo Constantinopolim accessit, inscio marito, Cæsarea Persarum Regina cum aliquo numero Christianorum, ubi baptizata fuit, et ad maritum redire recusavit, nisi antea et ipse Christianus fieret: qui uxorem imitando, ad eumdem locum accessit cum ingenti Primatuum copia, ubi omnes baptizati sunt: sicque Persarum regnum fidem recepit. Sedit Annis 14. Mens. 5.

§. 163. LXXIX. Adeodatus Romanus, Ordinis S. Benedicti. Ex Monacho Papa factus fuit Anno 669. Sub hoc Pontifice erant Hæretici dicti *Lamperiani*, qui, ut testatur Damascenus, vota omnia damnabant. Multum ampliavit Monasterium D. Hieronymi, in quo educatus fuerat. Omnibus propter mansuetudinem charus erat. Sedit Annis 7.

§. 164. LXXX. Donus seu Domnus, vel Domnionus Romanus. Ad Pontificatum fuit evectus Anno 676. Sub eo convocata fuit Synodus Constantinopolitana sub Agathone cœpta, finita vero sub Leone II. Doctrina et sanctitate, Ecclesiam Ravennatem a longo tempore segregatam a Romana, ad unionem reduxit. Sedit Anno 1. Mens. 5. Diebus 10.

§. 165. LXXXI. S. Agatho Monachus ex Sicilia, Anno 678. creatus Pontifex. Inchoavit, Concilium III. Constantinopolitanum, Œcumenicum Sextum, contra Monothelitas. Virtute tanta donatus fuit, ut osculo Leprosum sanaverit. Ecclesiam gubernavit Annis 4.

§. 166. LXXXII. S. Leo junior, seu secundus, Siculus, Petri cathedram obtinuit anno 683. Condemnavit in Concilio Constant. quod absolvit, cum Cyro, Sergio, Pyrrho, Paulo, et aliis Macharium Stepha-

num, Polichronium, etc., qui ab hæresi redire nolentes, in diversa Monasteria detrusi sunt. Hic Pontifex Musicis peritus, Hymnos sacros, et Psalmos, jam in Ecclesia decantari solitos, ad meliorem concentum reduxit. Constituit, ut in Missa, post *Agnus Dei*, pacis osculum, etiam populo daretur. Vixit in Pontificatu fere anno uno.

§. 167. LXXXIII. S. Benedictus II. Romanus Pontificatum suscepit Anno 684. Illi Constantinus Imperator decretum misit, ut quem Clerus, et Populus elegissent, illicò haberetur in Pontificem, nulla expectata authoritate Imperatoris, aut Exarchæ, quæ illorum usurpatione requirebatur. Vixit in Pontificatu mensibus 10. diebus 27.

§. 168. LXXXIV. Joannes V. Antiochenus in Syria. Ad Pontificiam dignitatem assumptus Anno 685. Librum scripsit de Pallii dignitate. Ecclesiam rexit anno uno, quo tempore mortuus est Constantius.

§. 169. LXXXV. Canon ex Thracia, Anno 686. in Pontificem creatus, sedit ann. 11. mens. 3. Illo mortuo Paschalis Archipresbyter, et Papæ Thesaurarius copiosam pecuniæ summam dedit Platinæ Exarchæ, Ravennatis ut eligeretur in Pontificem; at Platina, licet argentum receperit, ambitionem illius delusit.

§. 170. LXXXVI. S. Sergius Antiochenus Pontificatum accepit anno 687. Sedit an. 13. mens. 8. dieb. 24. Is cum esset de aliqua turpitudine accusatus, miraculose justificatus fuit, voce infantuli ipsum innocentem dicentis. Cum ante ipsius electionem Populus, et Clerus maxime divisi essent, una parte postulante Paschalem, et alii Theodorum, omnes convenerunt, ut utroque excluso, eligeretur Sergius, ad vitandum schisma. Constituit, ut in tempore fractionis Dominici Corporis: *Agnus Dei qui* etc: a Clero, et a populo decanteretur. Hoc Pontifice, circa Annum 699. refert Baronius, ortum habuisse Hæreticorum Maronitarum sectam, a quodam *Marone* de Mo-

nothelitarum grege. Circa idem tempus *Agonychitæ* Hæretici apparuerunt, qui ut refert Damascenus (Hæresi 91.), nunquam in oratione genuflectebant, sed semper stabant.

De Pontificibus octavi sæculi.

§. 171. LXXXVII. Joannes VI. Græcus, ann. 701. successit S. Sergio, qui electus fuerat ann. 687. Hic sedit ann. 3. mens. 3. Ejus tempore vixit Beda, ob sanctitatem, et modestiam dictus Venerabilis.

§. 172. LXXXVIII. Joannes VII. Græcus, sedit an. 2. mens. 7. dieb. 17. Hic creatus est Pontifex Anno 705. eo tempore, quo Justinianus recuperavit Imperium, ex quo expulsus fuerat a Tiberio, et Leontio.

§. 173. LXXXIX. Sisinius Syrus, Anno 708. Pontificatum adeptus fuit. Viginti tantum vixit diebus; ita enim podagra, et chiragra laboravit, ut neque pedibus, neque manibus uteretur; ipsi tamen semper adfuit patientia incredibilis.

§. 174. XL. Constantinus Syrus ad Pontificiam dignitatem elevatus fuit Anno 708. Sedit ann. 7. diebus 20. Statuit, quod sanctorum Patrum imagines, quae antea ablatæ fuerant è Templo S. Sophiæ, collocarentur in porticu D. Petri; et quod nomina Imperatorum hæreticornm in instrumentis publicis non inscriberentur. Dum dira fames per triennium grassata fuisset, pauperes paterne de necessariis providit. Cum navigasset Constantinopolim, ei obviam venit Imperator Iustinianus, qui se ad pedes ejus prostravit, eosque osculatus est; ex quo mos ortum habuit, quod Principes, pedes Pontificis osculari soleant.

§. 175. LXLI. S. Gregorius II. Romanus Anno 714. Pontifex factus fuit. Sedit an. 16. mens. 9. diebus 5. Hic misit ad Germanos Bonifacium Episcopum, qui illos ad fidem convertit: restitit fortiter Imperatori Leoni Isaurico, qui Iconomacus nominatus

fuit: et sub ejus Pontificatu Carolus Martellus Palatii Magister in Gallia dimicavit contra Saracenos prope urbem Turonem, quorum trecenta septuaginta quinque millia occisa sunt, ubi ex parte Francorum vix mille, et centum remanserunt in prælio.

§. 176. LXLII. S. Gregorius III. Syrus natione. Ad Pontificatum pervenit anno 731. Hic Pontifex primus dedit Galliarum Regi titulum *Christianissimi*. Insuper præcepit in quadam Synodo, ne inter consanguineos contraherentur matrimonia, qualiter nunc in jure cautum est. Sedit Annis fere undecim.

§. 177. LXLIII. S. Zacharias Græcus in Pontificem Anno 741. electus fuit. Sub hoc Pontifice, sed precise Anno 745. duo Haeretici apparuerunt, ut referet Baronius, *Adelbertus* nempe, et *Clemens*, utrique a Zacharia damnati. Primus eorum, natione Gallus, asserebat, opus non esse ut pænitentes ad ipsum accedentes confiterentur propria peccata, quia ipsi jam nota erant; Secundus vero, natione Scotus, Sanctorum Patrum contemptor fuit, atque Sanctorum Canonum; unde dicebat, posse Christianum ducere uxorem eam viduam, quæ fuerat uxor fratris defuncti. Circa hoc item tempus, ortum habuisse dicitur Paulitianorum hæresis. Hi namque, ducibus *Paulo*, et *Joanne*, Crucem non adorabant. Baptismum hac forma administrabant: *Ego sum aqua vitæ*. Atque hanc esse consecrationis formam effutiebant: *Accipite, et manducate, et bibite*. Totam Italiam, quam bellorum commotione turbatam invenerat, peragavit. Longobardos Ducem Spoleti persequentes, sua modestia, et humilitate sedavit, Regnumque Galliæ devolvit Pipino propter auxilia, quæ præbuerat Martellus Ecclesiæ. Vixit in Pontificatu Annis 10. Mensibus 3. diebus 10.

§. 178. LXLIV. Stephanus II. Romanus Pontifex creatus Anno 752, tertio, vel quarto sui Pontificatus die, apoplesia correptus, a vivis discessit; unde

ab aliquibus a Pontificum Romanorum serie excluditur.

§. 179. LXLV. Stephanus III. Romanus, eodem Anno Stephano II. in Petri sede suffectus fuit. Hic Papa, occasione Longobardorum Italiam persequentium, Galliam accessit, ubi a Rege Pipino, summa honoris significatione exceptus, atque ad Regale Palatium fræpum ipsius equi, Pipino eodem ducente, perductus, illi duos baptizavit filios, Carolum, et Carolomanum. Ipsumque Pipinum in Italiæ, seu Romanorum Imperatorem consecravit. Ecclesiæ praefuit Annis 5. Mense 1.

§. 180. LXLVI. S. Paulus Romanus frater Stephani II. factus fuit Pontifex anno 557. Nocte qualibet cum familiaribus suis cubicula ægrotantium, et pauperum visitabat, sicut et carceres, cohortans unumquemque verbis, et eleemosynis, ut paupertatem, morbos, et captivitatem patienter sustineret. Vixit in Pontificatu Annis 10. Mense uno.

§. 181. LXLV. Stephanus IV. Siculus, Mortuo Paulo Constantinus creatus fuit Papa illegitime, et consecratus ab Episcopo Praenestino, cujus manus aridae manserunt illico, quod indignum consecravisset. Ipso Constantino Pontificatu spoliato, electus est Stephanus IV. Anno 768., et Ecclesiam gubernavit An: 3. Mens: 5. diebus 28.

§. 182. LXLVIII. Adrianus I. Romanus. Ad Pontificatum Anno 772. fuit evectus, Desiderio rege Longobardorum Italiam invadente, et territorium Ecclesiasticum, ac Romam vi, et armis occupare tentante, Carolus Magnus in favorem Adriani, exercitum paravit, accessit Italiam, Desideriumque fugavit omnino. Hujus Pontificis tempore celebratum est Concilium 11. Nicaenum contra Iconomachos. D. Petri sedem tenuit Annis 20. Mens. 10. diebus 18.

§. 183. LXLIX. Leo III. Romanus. Pontifex fuit electus Anno 795. Circa hoc tempus *Felix* Episco-

pus Urgelitanus, et *Elipandus* Episcopus Toletanus Nestorianismum in Hispania suscitarunt. Circa Annum vero 810. *Albanenses* apparuerunt, docentes duos esse Deos; usuram esse licitam; animas non creari a Deo; Christum carnem habuisse impassibilem. Interim Leo maxime vexatus fuit a Romanis, qui ipsum, licet vere pium, et sanctum, Pontificatu spoliaverunt, et conjecerunt in carcerem, catenis ferreis oneratum: Cum industria Albini cubicularii sui exisset, Carolum Magnum adivit, qui ipsi restituit Papatum: et vicissim Papa Carolum Magnum coronavit Imperatorem, a quo tempore devolutum est Imperium ad Germanos, et Imperatorum coronatio in usu esse cœpit. Atque hic etiam Pontifex primus asseritur, qui sollemnem Sanctorum Canonizationem introduxit. Ipse namque lecta Vita et miraculis mature discussis S. Suviberti Wesphaliæ Apostoli, postque pariter preces cum jejuniis complesset, de Cardinalium consensu, præsente Carolo Magno, illum Sanctorum Catalogo adscripsit. Vixit in Pontificatu Annis 20. Mens. 5. diebus 17.

De Pontificibus noni sæculi.

§. 184. C. Stephanus V. Romanus successit Leoni III. an. 816. et sedit mens. 5. dieb. 3. Hic Galliam accedens benignissime ab Imperatore Ludovico I. acceptus fuit; quippe qui ter se coram illo, toto corpore prostravit, dicens, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, cui respondit Pontifex, *Benedictus Dominus, qui oculis nostris alterum Davidem concessit*; et postea ipsum coronavit Imperatorem.

§. 185. Cl. Paschalis I, Romanus Monachus, virtute plenus, et scientia, summa populi acclamatione, sed cum resistentia propria creatus est Pontifex Anno 817. Romæ Dominica Resurrectionis Lotharium Ludovici Pii filium coronavit. Pontificatum tenuit Annis 7. mens: 3. diebus 17.

§. 186. CII. Eugenius I. Romanus ad D. Petri sedem fuit evectus Anno 824. Cum ad Ludovicum Galliae Regem, et Imperatorem Germaniae misisset legatos, Michael Imperator Constantinopolitanus, Concilium petens ut examinaretur, an restituendae essent imagines, nec ne, praedictos Legatos misit Romam Ludovicus ad Eugenium, cujus intererat. Sub hoc Pontifice Anno scilicet 825. *Claudius* Episcopus Taurinensis, Felicis Urgelitani discipulus, Nestorianus, atque Ichonomachus, immo Agiomachus, hostis nempe Sanctorum, bellum SS. Reliquis, atque S. Cruci indixit, dicens, SS. non esse invocandos, Reliquias SS. venerandas non esse, nec Crucem Domini nostri adorabat. Sedit An: 3. Mens: 6.

§. 187. CIII. Valentinus Romanus, vir adeo sanctitate plenus, et populo atque Clero Romano charus, ut adhuc Diaconus, Pontifex Anno 827. fuerit creatus. Vixit tantum per 40. dies. Post ipsum electus est

§. 188. CIV. Gregorius IV. Romanus Anno 827. Festum omnium Sanctorum, instante Imperatore Ludovico instituit, die. 1. Novembris. Sedit Annis 16.

§. 189. CV. Sergius II. Romanus Anno 844. electus fuit. Sergius iste primus dicitur, cujus nomen mutatum fuit in Pontificali consecratione. Hic Pontifex coronavit Imperatorem Lodovicum II. Lotharii filium Anno 844. Vixit in Pontificatu Annis 3.

§. 190. CVI. S. Leo IV. Romanus, Pontificiam adeptus est dignitatem Anno 847. Ipsius tempore Basiliscus veneno territorium Romanum inficiebat, qui subito mortuus est, accedente cum processione solemni Pontifice, imaginem B. Mariae Virginis deferente. Hoc accidit, secundum Galterum, Assumptionis die, et juxta Platinam, die 8. post hoc festum: unde octavam Assumptionis instituit Leo. Hic dicunt haeretici Joannam Papistam, natam in insula Moguntina apud Anglos sedisse; quod purum esse commentum alibi probavimus. Ecclesiam gubernavit Annis 8. Mens:

3.

3. diebus 5. Anno ab ejus creatione nondum elapso, *Godeschalcus* quidam Hæreticus docuit: Deum non velle omnes homines salvos fieri; atque ideo Christum, non pro omnibus, sed pro solis prædestinatis mortuum esse.

§. 191. CVII. Benedictus III. Romanus. In Pontificem electus Anno 855. sedit ann. 2. mens. 6. Hic Pontificalibus ornamentis spoliatus fuit, et graviter verberatus Antipapae Anastasii imperio. Pontificatum tenuit An: 3. Mens: 6. dieb: 10.

§. 192. CVIII. Nicolaus I. cognomento Magnus, natione Romanus. Hic in cavernis, et antris absconditus delituit, ne in Pontificem eligeretur, sed inde extractus, Anno 858. Pontifex creatus fuit, praesente Ludovico Imperatore, qui equi Pontificii frænum tenebat dum ille cum hymnis, et canticis in Palatium Lateranense ductus fuit. Sedit Annis 9. mens: 6.

§. 193. CIX. Adrianus II. Romanus ad Pontificiam sedem evectus fuit Anno 867. Sub ipsius Pontificatu Synodus Constantinopolitana decrevit, Photinum esse è sede expellendum, et Ignatium restituendum. Vixit in Pontificatu Annis 4. Mens 10. diebus 17.

§. 194. CX. Joannes VIII. Romanus. Electus fuit Pontifex Anno 872. Decrevit ut hom. idae essent irregulares, et quod Sacerdos homicida, Missam celebrare non praesumeret. Tres Reges Galliae, Imperatores consecravit, Carolum Calvum, Ludovicum II., et Carolum III. Vixit regens Ecclesiam Annis 10.

§. 195. CXI. Martinus I. Gallus, quem alii vocant II. electus Anno 882. sedit ann. 1. mens. 5.

§. 196. CXII. Adrianus III. Romanus electus fuit in Pontificem Anno 884. Hic prohibuit, ne in electione Pontificum expectaretur Imperatorum confirmatio, ut tota eligendi libertas apud Populum, et Clerum maneret. Communionem Photio negavit, licet ad id ab Imperatore Basilio enixe rogaretur. Pontificatum tenuit An: 1. mensibus 4.

§. 197. CXIII. Stephanus VI. ab aliis V. vocatus, Romanus, ad Pontificiam dignitatem evectus fuit Anno 885. Sedit 6. annis 11. diebus. Hujus tempore Carolus Grossus nominatus, Imperator, et Rex Galliæ, e Throno expulsus fuit a Primatibus, ob nimiam stupiditatem mentis, et corporis.

§. 198. CXIV. Formosus Romanus Anno 891. Pontifex creatus; sedit 5. ann. 6. mens. Hic alias suum Episcopatum Portuensem reliquerat, ut in Galliam fugeret metu Joannis Papae, qui eum Romam redire renuentem excommunicavit; postea vero a Martino revocatus, absolutus est, in pristina dignitate restitutus, et tandem Summus Pontifex creatus, nomini suo respondens, Ecclesiam Principis Apostolorum renovavit, variis Sanctorum pictis imaginibus ornavit, formosioremque reddidit.

§. 199. CXV. Bonifacius VI. electus Anno 497. vixit tantum 15. diebus.

§. 200. CXVI. Stephanus VII. aut VI. Romanus, eodem Anno creatus, sedit an. 3. Multi inter hunc et Formosum interponunt Bonifacium Antipapam, sub nomine Bonifacii V.

§. 201. CXVII. Romanus ex Tuscia natus Pontificatum suscepit Anno 900., sed vix 5. vel 4. mens. sedit.

De Summis Pontificibus decimi sæculi.

§. 202. CXVIII. Theodorus VI. Romanus Divi Petri Sedem obtinuit Anno 901., in qua diebus tantum 20. sedit, et decreta, seu statuta Formosi restituit.

§. 203. CXIX. Joannes IX. Monachus Romanus. Anno 901. Pontifex electus fuit. Sedit 4. ann. dieb. 5. Concil. Ravennae coegit, ubi abrogatum fuit quidquid a Stephano contra Fomosum statutum fuerat.

§. 204. CXX. Benedictus IV. Romanus, consecratus Pontifex fuit anno 905. Hujus tempore morum cor-

ruptio ubique communis erat, attamen hic Pontifex omni pollebat virtutum genere; charitate praesertim erga pauperes. Pontificatum tenuit Annis 3. et mens. 17.

§. 205. CXXI. Leo V. Ardeatinus anno 907. in Pontificem electus, vix sedit dieb. 40. Nam familiaris ejus nomine Christophorus, vi et factionibus eum in Monasterium detrusit, ipsiusque sedem usurpavit, interim Leo arctiori custodia mancipatus, in vinculis mortuus est.

§. 206. CXXII. Christophorus Romanus, in Pontificatum intrusus Anno 907. pravis mediis Pontificatum obtinuerat, similibus dejectus, et in Monasterium relegatus, vix Mensibus 8. Pontificiam dignitatem occupavit, et mortuus est.

§. 207. CXXIII. Sergius III. similiter Romanus, factione Adelberti Marchionis Romanam Sedem occupavit. Hic e Monasterio Christophorum egredi jussit, non causa libertatis illi dandae; sed ut illico in carcerem conjiceretur. Pontificatum tenuit annis 3.

§. 208. CXXIV. Anastasius III. Romanus. Sedem Pontificiam accepit Anno 910., eamque tenuit laudabiliter 2. annis et 2. mensibus. Ipsi successit

§. 209. CXXV. Lando Sabinus, ad Pontificatum promotus Anno 912., vix sedit 6. mensibus, et diebus 11. Cujus tempore Itali, Germani, et Galli multa inter se bella inierunt, quia Formosus Pontifex, Imperium a Gallis ad alios transtulerat.

§. 210. CXXVI. Joannes X. Ravennas, Pontifex creatus fuit Anno 913. Ecclesiam gubernavit annis 13. mensibus 2. 3. dieb. Hic maxime in bellum propendebat, in quo a militibus Guidonis Comitis comprehensus, et in carcerem detrusus, suffocatur. Usurpavit pro tunc sedem Joannes quidam, ex qua illico ejectus est; unde Joanni X. canonice successit

§. 211. CXXVII. Leo VI. Romanus. Electus fuit Pontifex Anno 928. Vir bonus, semper pacificare conatus est Populum Romanum, multis factionibus agita-

tum, per ignorantiam, et pravam gubernationem praecedentium Pontificum. Quod dum impense ageret, a factiosis in carcere detrusus, mense septimo sui Pontificatus decessit.

§. 212. CXXVIII. Stephanus VIII. Romanus, creatus Anno 929. sedit annis 2., mense 1., diebus 12. Hoc Pontifice Uratislaus Spirenæus Bohemiae Dux Christi fidem amplexus est.

§. 213. CXXIX. Joannes XI. dignitatem Pontificiam adeptus est Anno 931. Hujus tempore erupit fons sanguineus prope Genuam, qui signum fuit futurae calamitatis. Vixit in Pontificatu Annis 4., Mens. 10. inter continuas amaritudines atque pressuras; tandem post edita multa patientiae specimina, in carcere defunctus est.

§. 214. CXXX. Leo VII. Romanus, Pontifex electus fuit Anno 936. Sedit annis 3., mense 6., diebus 10., cujus successor fuit

§. 215. CXXXI. Stephanus IX. Germanus. Pontificiam sedem habuit Anno 939.; eamque tenuit 4. annis, mensibus 4., diebus 13. Ab initio Pontificatus tantam persequutionem sustulit propter seditiones Romanorum, quod ipsius memoria aere digna sit.

§. 216. CXXXII. Martinus III. Romanus. Pontifex creatus Anno 943. sedit 3. annis, mensibus 6., dieb. 10. Ubi Pontificatum tenuit, bellum illico deseruit ut se totum Orationi daret.

§. 217. CXXXIII. Agapetus II. Romanus, Pontifex factus fuit Anno 946. Vir sane innocens, atque Christianæ Reipublicae amator. Sedit 9. an., 7. mens. 10., dieb. Hujus tempore mortuus est Odo Abbas Cluniacensis.

§. 218. CXXXIV. Joannes XII. Romanus, ætatis suæ anno decimoseptimo nondum expleto, ambitione Alberici potentissimi Principis, cujus erat filius, Pontifex creatus fuit. Diversus a suo antecessore, sedit an. 9. 3. mens. dieb. 5. corruptæ, et pravæ vitæ

fuit, de quo admonitus ab Imperatore Othone, quem ipse Anno 962. in Germaniæ I. Imperatorem coronaverat, fugit, atque in nemoribus delituit, et cum non compareret, Clerus, et Imperator in Pontificem elegerunt Leonem, qui dictus fuit VIII., licet Antipapa, unde absente Imperatore, Joannes restituitur.

§. 219. CXXXV. Benedictus V. Romanus. Hic Anno 964. Pontifex creatus fuit ab amicis Joannis, et summe vexatus a Leone VIII. Immo Imperator Otho, qui præferebat Leonem Joanni, totam Romæ viciniam vastavit, Benedictum ejecit, et Leonem restituit. Benedictus interim in Germaniam traductus, post exhibita non pauca veræ patientiæ documenta, Hamburgi in pace quievit. Vixit in Pontificatu Anno fere uno.

§. 220. CXXXVI. Leo VIII. Antipapa ab Othone, loco Benedicti, intrusus, sedit mens. 9.

§. 221. CXXXVII. Joannes XIII. Rom. sedit 6. annis, mens. 11., diebus 5. Sub hoc Pontifice usus benedicendi Campanas incoepit.

§. 222. CXXXVIII. Domnus II. Romanus, factus Pontifex Anno 972. sedit tribus tantum mensibus, ipsique successit, Anno eodem,

§. 223. CXXXIIX. Benedictus VI. etiam Romanus. In Molem Adriani, seu S. Angeli a Cynthio præpotenti Romano, per summam injuriam, inclusus. In carcere fame decessit, vel potius Anno 974. cum vix Anno sedisset Benedictus, strangulatus fuit jussu Bonifacii, qui tyrannice sedem invadens nominari voluit

§. 224. CIL. Bonifacius VII., qui malis artibus Pontificatum adeptus, pessime illum dimittere coactus fuit, atque in Constatinopolim se recipere, cum Sedem occupasset mensibus 3. diebus 15.

§. 225. CXLI. Benedictus VII. Romanus. Anno 975. Pontifex creatus, sedit annis 9. mense 1. Hunc graviter persecutus est Bonifacius, et ipsi Anno 984. successit.

§. 226. CXLII. Joannes XIV. Pataviensis Episcopus.

Hoc Pontifice Romæ institutum fuit Sodalitium pro solamine Omnium fidelium defunctorum per preces, et eleemosinas impetrando. Vix tribus mensibus sederat, cum jussu Bonifacii, in carcerem detrusus, moritur; Bonifacius sedem adhuc tenuit 3. mense, et ipso a vivis repentina morte sublato, successit, Anno 985.

§. 227. CXLIII. Joannes XV. Romanus. A Clericis odio habitus fuit, permissione divina, eo quod Ecclesiam negligens, et Prælatos condemnans, Thesauris Ecclesiasticis proximos suos carnales ditaret. Ecclesiæ sedem tenuit Annis 10. et Mensibus 4.

§. 228. CXLIV. Joannes XVI. Romanus. Creatus Pontifex Anno 996. 4. tantum mensibus Pontificatum tenuit. Eum aucthorem faciunt Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. Hic à Baronio omittitur; sed hoc loco adnumeratur ob conformitatem cum aliis Annalistis.

§. 229. CXLV. Gregorius V. e Saxonia, Anno 996. factus Pontifex authoritate Imperatoris Othonis, cujus erat affinis. Largitate erga pauperes maxime commendatur. Ecclesiam gubernavit Annis 3. mens. 8.

§. 230. CXLVI. Joannes XVII. Italus Episcopus Placentinus contra Gregorium intrusus Anno eodem ac ille electus fuit, per menses 10. schismatice sedem tenuit. Sed ab Othone Imperatore coactus, Pontificatum dimisit, effossisque oculis, in Germaniam relegatus fuit.

§. 231. CXLVII. Sylvester II. ex Aquitania in Gallia natus, sedem tenuit 4. an. mens. 1. dieb. 10. Monachus erat ex Monasterio S. Benedicti Floridi, prope civitatem Aurelianensem.

De Summis Pontificibus undecimi sæculi.

§. 232. CXLVIII. Mortuo Sylvestro II. ann. 1103. eodem anno successit illi Joannes XVIII. Hic sedit spatio quatuor mensium, et dierum viginti.

§. 233. Joannes XIX. etiam Romanus sedit 4. an. et 4. mens., nec fecit aliquid memoria dignum.

§. 234. CL. Sergius IV. Romanus, Pontifex creatus Anno 1009. sedit an. 2. Mens; 8. diebus 15. Hic ante Pontificatum sanctissimæ vitæ fuit.

§. 235. CLI. Benedictus VIII. Tusculanus, ad Pontificatum evectus fuit Anno 1013. Hujus tempore invaserunt Turcæ urbem Jerusalem. Mortuo Imperatore Henrico qui multum Benedicto favebat, alium in Pontificatu admiserunt Romani, nomine Gregorium, qui paulo post ejectus est, et Benedictus est restitutus. Sedem tenuit Annis 12.

§. 236. CLII. Joannes XX. Tusculanus, Anno 1024. Pontifex factus fuit. Sedit an. 11. mens. 1. dieb. 9. Aliqui dicunt hunc fuisse Episcopum Portuensem, dum creatus fuit Pontifex; alii vero nullo Ordine sacro initiatum asserunt. Hoc Pontifice mortuus est S. Romualdus Camaldulensium Ordinis Institutor, et quinquennio post mortem ab eo Canonizatus fuit.

§. 237. CLIII. Benedictus IX. etiam Tusculanus, sedem occupavit per diversa intervalla 10. an., mens. 4., et 9. dieb. Hunc ejecerunt Romani tanquam omnibus ingratum, et nullius æstimationis, ejusque loco substituerunt Joannem Sabinæ Episcopum, sub nomine Sylvestri III., ille postea restitutus est, Sylvester ejectus, Benedictus autem praevidens, quod iterum posset dejici, Pontificatui cessit, qui devolutus est Gregorio VI.

2. 238. CLIV. Sylvester III. Schismaticus Romanus sedit Mense 1. diebus 19.

§. 239. CLV. Gregorius VI. Romanus Schismaticus, sedit 2. an., 9. aut 8. mens. Hic ab aliquibus dicitur Pontificatum emisse e Benedicto IX., unde Henricus II. Synodum celebrare fecit, in qua Benedictus, qui vendiderat, Gregorius qui emerat, et Sylvester, qui se intrunserat, condemnati sunt, et sedi renuntiare coacti. Quibus ipse Anno 1045. Suidgerum Epi-

scopum Bambergensem substituit, qui Clemens secundus appellatus fuit.

§. 240. CLVI. Clemens II. Germanus e Saxonia, Anno, 1047. in die Nativitatis, Domini coronatus fuit. Sedit tantum 1. an., vel circiter, et summe vexatus fuit a Benedicto IX. sedem recuperare prætendentis, veneno decessit.

§. 241. CLVII. Damasus II. ex Bavaria Anno 1048. Pontificatum assumpsit. Sedem tenuit tantum diebus 23., quam vi, et sine consensu Cleri, et populi Romani occupaverat. Subitanea morte sublatus fuit.

§. 242. CLVIII. S. Leo IX. ex Germania. Ad D. Petri sedem evectus fuit Anno 1049. Sedit ann. 5. mens. 1. dieb. 6. Primus condemnavit hæresim Berengarii, qui temere audebat dicere: Christum non esse realiter in Eucharitia, sed tantum figurate.

§. 243. CLIX. Victor II. ex Suevia, Anno 1054. Pontificatum suscepit. Sedit 2. an. mens. 3. dieb. 14. Synodum coegit Florentiæ, in qua multos Episcopos dignitate sua privavit, causa fornicationis, et simoniæ.

§. 244. CLX. Stephanus X. Lotharingius, electus fuit Pontifex Anno 1057. et sedit mens. 7., dieb. 8.

§. 245. CLXI. Benedictus X. intrusus anno 1058. Sedit 9. Mensibus, diebus 20.

§. 246. CLXII. Nicolaus II. Sabaudus, sedem Romanam accepit Anno 1059. Hic argumentis a se in medium allatis Berengarium Archidiaconum Turonensem Hæresiarcham, tertio in errorem circa Eucharistiam recidivum confutavit, atque ita devicit, ut ille palinoniam cecinerit, atque errorem revocaverit, fueritque usque ad mortem fidelis. Habito Concilio apud Lateranum, statuit, ut si quis pecunia, aut gratia humana, aut populari, vel militari tumultu, sine canonica electione Cardinalium fuerit in sede collocatus, is non Apostolicus, sed Apostaticus dicatur.

§. 247. CLXIII. Alexander II. Mediolanensis. Pontifex creatus fuit Anno 1061. Aliqui cum Imperatore in Pontificem habere volebant Gilbertum Parmensem, virum potentissimum: at Agnes Imperatoris uxor, non alium voluit quam Alexandrum antea lectum. Hic Pontifex, dum Lucam transiret, Ecclesiam S. Martino dictam solemniter consecravit, ejusque Canonicos, speciali prærogativa, mitra Episcopali insignivit, multisque aliis privilegiis locupletavit. Statuit quoque, ut excepta Die Nativitatis Domini, in aliis diebus una vice tantum celebraretur. Pontificatum tenuit Annis undecim, Mens: 6. diebus 22.

§. 248. CLXIV. S. Gregorius VII. Tuscus, Pontifex factus fuit Anno 1072. Inter innumera laude digna quæ gessit, Cantum Ecclesiasticum ita perfecit, ut ab ipso Gregorianus sit appellatus.

§. 249. CLXV. Victor III. Beneventanus. Antea erat Abbas Montis Cassini; electus Anno 186., cum vix annum in Pontificatu absolvisset, dicunt aliqui fuisse necatum veneno in Calicem injecto, opera Henrici, cui non permittebat Pontifex, ut Beneficia venderet argento.

§. 250. CLXVI. Urbanus II. Gallus ex Diœcesi Rhemensi, Pontifex fuit factus Anno 1088. Hic Cisterciensium Ordinem sua authoritate confirmavit; Ejus etiam tempore ortum duxerunt Carthusiani a S. Brunone instituti; indicta fuit expeditio contra infideles pro recuperatione Terræ Sanctæ; et jam duce Godefrido Bullonio Jerusalem e manibus Infidelium erepta est, die 14. Junj 1077. Ab hoc Pontifice orta fuit recitatio Officii parvi BB. Virginis, et mos incoepit recitandi *Av. Maria* ante Homiliam vel Concionem. Pontificiam sedem tenuit Annis undecim, Mens: 4., diebus 18.

§. 251. CLXVII. Paschalis II. Tuscus An: 1099. Hic latitans, et nolens eligitur a Clero: Sub ejus tempore floruerunt D. Anselmus, D. Bernardus. Hic

fuit primus, qui annos Pontificatus sui computare, et subscribere coepit. Sedit An: 18., Mens. 5.

De summis Pontificibus duodecimi sæculi.

§. 252. CLXVIII. Gelasius II. Capuanus, Pontifex Anno 1118. electus fuit. Sub eo ortum habuere Templarii; hoc est milites Templi, qui non longe a S. Domini Sepulcro in Jerusalem, in parte ædium Templi habitabant. Illorum officium erat peregrinos ad loca Sancta accedentes, per illa, armati, ducere, et reducere ut sine periculo illa invisere devote possent. Orti etiam sunt Hospitalarii, qui dictos peregrinos hospitio reciperent. Hoc etiam Pontifice, et præcipue circa Annum 1120. Marsilius Paduanus docere cœpit, Christum post suam Ascensionem nullum sibi reliquisse Vicarium in Terris. Pontificem ab Imperatore judicari posse, atque Imperatorem, sede vacante, succedere Pontifici. Ecclesiasticis esse illicita bona temporalia. Hic Pontifex Roma fugit, se in Galliam subducens, ubi moritur in Monasterio Cluniacensi, post unum annum, et 4. Menses Pontificatus.

§. 253. CLXIX. Callistus II. Burgundus. Hic electus est Anno 1119. in Monasterio Cluniacensi, in quo obierat Gelasius, et ubi multi Cardinales congregati erant; statimque audivit se confirmari ab illis, qui erant Romæ. Vixit in Pontificatu An: 5.

§. 254. CLXX. Honorius II. Bononiensis, Cluniacensis Monachus. Electus fuit Pontifex Anno 1124. Sub eo floruit Hugo a S. Victore. Hujus Pontificis tempore *Tanchelinus*, alias *Tandemus* docere cœpit: ministerium Episcoporum et Sacerdotum nihil esse: Eucharistiam nihil ad salutem valere; adulteria, et stupra etiam publica esse licita. Attamen S. Norbertus Præmostratentium Patriarcha ipsum eloquentia sua confutavit, atque pari subtilitate superavit. Unde et Institutum Ordinem Præmostratensem Honorius con-

firmavit. Floruit sub eo Hugo a S. Victore. Sedit Annis 5., Mense 1., diebus 17.

§. 255. CLXXI. Innocentius II. Romanus, Anno 1130. ad Pontificatum evectus competitorem habuit, nempe Petrum Leonis, civem Romanum, Anacletum vocatum, quem Romani, absente Innocentio, crearunt; et quem, post dies aliquot, Lotharius Imperator expulit, ut Innocentium restitueret. Sub hoc Pontifice congregatum est primum Concilium Interamnense ex mille Patribus compositum contra Antipapas, pro recuperanda Terra Sancta, et propter alias rationes. Vixit in Pontificatu Annis 13., Mens: 7., diebus 10.

§. 256. CLXXII. Cælestinus II. Tuscus. Hic omnium consensu creatus est Pontifex sub Conrado Suevo Imperatore Germanorum, Anno 1143. Ab hoc Pontifice incipit Prophetia S. Malachiæ Archiepiscopi Hyberniæ de secuturis Pontificibus. (1). Sedit 5. Mensibus, et 13. diebus.

§. 257. CLXXIII. Lucius II. Bononiensis. In Pontificem creatus Anno 1144., sedit mens. 11., dieb. 14.

§. 258. CLXXIV. Eugenius II. Pisanus, factus fuit Pontifex Anno 1145. Hunc induerat Monachum Clarevallensem D. Bernardus, qui ad illum scripsit li-

---

(1) De Prophetiis S. Malachiae respicientibus sequuturos Pontifices, agunt permulti, prae aliis *D. Giovanni Germano* in libro: *Vita*, *Gesta*, e predizioni circa i Sommi Pontefici Romani del glorioso P. S. MALACHIA etc: dedicata a Clemente X. 1670., qui de illis fuse pertractat, atque in Pontificibus verificata ostendit, usque ad Annum, in quo scripsit. *P. Primo Camillo de Vioregio*, nel Tomo II. *Vita de Pontefici* Secolo 12. pag. 108. Sint ne autem praedictae Prophetiae genuini partus S. Malachiae, negant Critici. Verum an jure, satis non constat. Quod hic dicere possumus, est, eas cum grano salis intelligenda esse.

bros de Consideratione. Ecclesiam rexit Annis 8., Mens: 4., diebus 13.

§. 259. CLXXV. Anastasius IV. Pontificatum obtinuit Anno 1153. Hujus tempore florebat Richardus a S. Victore. Sedit Anno. 1., Mensibus 4., diebus 24.

§. 260. CLXXVI. Adrianus IV. Anglus. Ipsum fecit Cardinalem Albanensem Eugenius, et Legatum miserat in Norvergiam; ubi tam efficaciter hujus Regni populos admonuit, ut fidem Christi susceperint. Pontificatum obtinuit Anno 1155. Romae, eodem Anno, coronavit Fredericum I., qui Ænobarbus, sive *Barbarossa*, dicebatur. Sedit Annis 4., Mens: 8., diebus 24.

§. 261. CLXXVII. Alexander III. Ad Pontificiam dignitatem evectus fuit Anno 1159. Sub hoc facta est seditio inter Guelphos, et Gibellinos, quæ totam pene Italiam subvertit. Guelphi authoritatem Papæ tuebantur: Gibellini partes tenebant Imperatoris contra Papam. Hic Pontifex benigne excepit S. Thomam Cantuariensem; multumque laboravit pro illius reconciliatione cum Henrico II. Angliæ Rege. Prædictum D. Thomam ab ipso Rege, dein Martyrio affectum, SS. Catalogo adscripsit; statuitque ne ulli alio sacri honoris publice darentur, nisi tantum illi, qui fuisset ab Ecclesia canonizatus. Fredericum II. Imperatorem Schismaticum eo usque, humiliavit, ut dum ille ante ipsum esset prostratus, pede premens collum ejus, dixerit: *Super aspidem, et Basiliscum ambulabis, et conculcabis Leonem, et Dragonem*; cui ille cum respondisset: Non tibi, sed Petro., cujus successor es, pareo; Pontifex subjuxit: et mihi et Petro. (1) sub hoc Pontifice, circa Annum

---

(1) Factum hoc absolute a sanioribus Criticis apocryphum declaratur. Indignum sane videtur humilita-

1160. ortum habuere Patareni, Valdenses, Albanenses (1). Sub eo factum est concilium Lateranense. Contra hunc tres Cardinales Octavium civem Romanum Papam fecerunt, et incæpit Schisma, quod per viginti annos duravit. Rexit Ecclesiam Annis 21. Mens: 11. diebus 23.

§. 262. CLXXVIII. Lucius III. Lucensis Preatus fuit Pontifex Anno 1181. Ex urbe ejectus fuit, quia Consulum nomen abolere nitebatur; Multa suæ urbi nativae contulit privilegia. Ejus tempore vixit Petrus Comestor. Sedit in Pontificatu Annis 4., Mens 2., diebus 18.

§. 263. CLXXIX. Urbanus III. Mediolanensis. Pontificatum accepit Anno 1185. Suo tempore occupata a Saladino urbs Jerusalem, Crux sancta ablata, et plurimi Christiani occisi fuere, quo audito Pontifex, praenimio dolore, mortuus est, anno 2. sui Pontificatus non expleto.

§. 264. CLXXX. Gregorius VIII. Beneventanus, qui amplissimam Epistolam ad omnes Principes Christianos scripsit, ut ad recuperationem urbis Hierosolymitanae excitarentur; sed interea moritur Pisis. Mense 2. sui Pontificatus.

§. 265. CLXXXI. Clemens III. Romanus Pontifex electus anno 1188. Hic omnes Principes urget, ut contra Saracenos insurgant: et ad hoc conveniunt Imperator Fridericus, Philippus Rex Galliae, Richardus Rex Angliae, Odo Dux Burgundiae, Veneti, et alii,

---

te, atque prudentia tanti Pontificis talia efficere, quæ animum illius Imperatoris exasperare naturaliter poterant; atque hinc novorum malorum fontem aperire. Vid: laudat: *da Vioregio* T. II. pag. 133. Risol. I.

(1) Horum errores vide apud *Sianda* Lexicon Polemicum. *Contin* Dizionario dell' Eresie. *Boyvin Gabriel* Tomo IV. Theol-Scoti de Haeresibus 12. Saeculi; aliosque.

cum multis Praelatis; haecque omnia sub Guillelmo Rege Siciliae. Rexit Ecclesiam annis 3., mensibus 3., diebus 15.

§. 266. CLXXXII. Cœlestinus III. Romanus, anno 1191. creatus, nihil in sua vita praetermisit, quominus Terra Sancta recuperaretur. Coronavit Romae Henricum VI. Frederici Barbarossæ filium Anno 1191. Confirmavit Ordinem Teutonicorum; atque Ubaldum Episcopum Sanctorum cathalogo adscripsit. Pontificatum tenuit Annis 9., Mens. 8., diebus 28.

§. 267 CLXXXIII. Innocentius III. ex Anagnia, Pontifex factus fuit Anno 1198. Hujus tempore mota est haeresis Albigensium apud Tholosam, quam procurante Pontifice, B. Dominicus, adjuvante Comite Montisfortis, mira celeritate compescuit. Sub eo celebratum est Concilium generale Lateranense IV. initio sequentis saeculi sc. 1215. Romae idibus octobris Anno 1209. coronavit Othonem IV. Confirmavit, quod alias statutum fuerat (§. 247.), ut excepta die Nativitatis Domini, semel tantum in die celebraretur; ut Eucharistiae Sacramentum asservaretur in Templis, et quoties ad infirmos deferri contingeret, præcedente campanula, cum luminibus deferretur. Sedit Annis 18., Mens: 6., diebus 9.

De summis Pontificibus tertii-decimi Sæculi.

§. 268. CLXXXIV. Honorius III. Romanus, Pontifex creatus fuit Anno 1216. Hic Anno 1223. confirmavit Ordines SS. Dominici Gusmani, et Francisci Assisiensis, et Romae Anno 1220. Fredericum II. coronavit. Rexit Ecclesiam Annis 10., Mensibus 8.

§. 269. CLXXXV. Gregorius IX Anagniensis. Ad Pontificiam dignitatem evectus fuit Anno 1227. Constituit, ut in Missa ad elevationem Corporis Christi pulsaretur campana, ut sonitum illius audientes, qui extra Ecclesiam essent fideles, mentem ad illud ado-

vandum elevarent, sicque de Altaris Sacramento participarent. SS. Dominicum, et Franciscum inter Sanctos retulit; sicuti etiam Antonium Patavinum, et Elisabetham Ungariæ Reginam. Ut vivens maximi fecerat D. Franciscum, atque institutum ab eo Minorum Ordinem, ita voluit ex devotione, ut mortuus, sepeliretur cum abitu Franciscano. Sedit Annos 14., Mensibus 5., diebus 3.

§. 270. CXXVI. Cœlestinus IV. Mediolanensis. Anno 1241. Pontifex electus, elapsis, vix 17. diebus, et antequam coronaretur, decessit. Post ejus mortem sæviente in Ecclesiam Frederico II. Imperatore, et multos Cardinales in carceribus detinente, novi Pontificis electio subito fieri non potuit. At postquam Sedes Apostolica vacarat Anno uno, et 20. Mensibus, precibus Raymundi Comitis Tolosani, dimissis a Frederico Cardinalibus, Anno 1243. Pontifex creatus fuit

§. 271. CLXXXVII. Innocentius IV. Ianuensis. Statim ac audivit Fredericus, illum electum fuisse Pontificem, ait se amisisse in ejus persona optimum amicum, et hostem accerrimum invenisse. Hic Pontifex concessit Cardinalibus usum galeri rubri. Sanctorum Martyrum Catalogo adscripsit Petrum Martyrem Ordinis Praedicatorum, et Stanislaum Episcopum Cracoviensem. Sanctam Claram Virginem aegrotantem invisit, eique humiliter petenti, Indulgentiam plenariam concessit. Sub eo, Anno 1244. Concilium Generale Lugduni contra Fredericum habitum est, qui personaliter comparere renuens, totius Concilii auctoritate Imperio, et Regno Siciliae privatus fuit. Ecclesiam gubernavit Annis undecim, Mens. 5. diebus 14.

§. 272. CLXXXVIII. Alexander IV. Anagninus. Creatus fuit Pontifex Anno 1254. Hic Pontifex Ordinibus Mendicantium multa privilegia concessit; atque ex eis, electis viris doctis, atque virtute fulgentibus, eos ad Episcopatum, atque Cardinalatum promovit; nec non Claram de Assisio Sanctorum catalogo ad-

scripsit. Damnavit libros Guillielmi a S. Amore contra religiosam paupertatem, quos S. Bonaventura scripto confutaverat. Rexit Ecclesiam Annis 6., Mens: 5., diebus 4.

§. 273. CLXXXIX. Urbanus IV. Trecensis in Gallia. Ad Pontificatum assumptus Anno 1261. Festum instituit Corporis Christi. Sedit Annis 3., Mense 1., diebus 14.

§. 274. CXC. Clemens IV. Narbonensis. Hic ad Pontificatum evectus fuit Anno 1265. cum antea fuisset Consiliarius, ac Minister Status S. Ludovici Francorum Regis. Bona Ecclesiae rite administravit, fassus, se plus Deo, quam carni, et sanguini debitorem esse. Rexit Ecclesiam Annis 3., Mensibus 9., diebus 25.

§. 275. CXCI. S. Gregorius X. Placentinus, creatus Pontifex Anno 1271. postquam per Menses 30. Sedes Romana vacaverat, et dum esset in Asia exercitum ducens Ierosolymam adversus Saracenos pro recuperanda Terra Sancta. Sub eo Anno 1273. orti sunt Haeretici *Flagellantes* appellati; qui albis vestibus talaribus cum caputiis induti, per publicas vias se flagellabant, clamantes *Pax et misericordia*, cantantesque hymnum: *Stabat Mater Dolorosa*; talem flagellationem ipsi appellabant Martyrium, et Baptismum sanguinis, substitutum Baptismo aquae, quem jam desiisse effutiebant. Anno autem 1274. celebratum est Concilium Œcumenicum XIV. Lugdunense secundum, pro recuperatione Terrae Sanctæ, et contra haeresim Graecorum, cui adfuerunt mille Patres, et Pontifex ipse cum quindecim Cardinalibus, inter quos Seraphicus Doctor S. Bonaventura, qui sub Concilii exitu, contracto lethali morbo, anno aetatis suae quinquagesimo tertio, supremum diem explevit; summo cum dolore Patrum omnium, maximeque Pontificis, qui in Concilio ipso testatus est, Ecclesiam, illius obitu, inaestimabilem fecisse jacturam. In tali

Concilio definitum est, Spiritum Sanctum procedere aeternaliter ex Patre et filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno; nec duabus spirationibus, sed unica. Sedit in Pontificatu Annis 4., Mensibus 4, diebus 10.

§. 276. CXCII. Innocentius V. Burgundus. Primus qui ex Ordine Praedicatorum assumptus fuerit in Pontificem Anno. 1276. Mense sexto sui Pontificatus decessit.

§. 277. CXCIII. Adrianus V. Genuensis. Post dies 48. Pontificatus, semper in aegritudine transactos, mortuus est.

§. 278. CXCIV. Vicedominus per aliquod horas dictus Gregorius XI. Primus Pontifex ex Ordine Fratrum Minorum, ipsa electionis die, suprema simul dignitate, et vita fuctus est.

§. 279. CXCV. Ioannes XXI., vel ut alii volunt XX., alii XXII. Anno 1276. Pontifex creatus, vix Menses octo in Pontificatu expleverat, cum ruina cubiculi recenter constructi, interiit.

§. 280. CXCVI. Nicolaus III. ex Ordine Fratrum Minorum ad Pontificiam dignitatem assumptus fuit Anno 1277. Regulam S. P. Francisci ab ambiguitatibus liberavit. Vacantibus Ecclesiis citissime prospiciebat, easque statim idoneis, atque optimis ministris committebat. Sub eo, circa Annum 1278. orti sunt Haeretici dicti *Fraticelli*, majori ex parte, ut scribit Pelagius (De planctu Eccl: vili homunciones *porcurij*, *Armentarii*, *cæmentarii*, *fabriferrarii*, *aut aliis operibus mancipati*, qui variis erroribus imbuti, atque hipochrisim edocti ab Hermanno Pongiluppo Ferrariensi, non solùm pravis doctrinis, et moribus S. Romanæ Ecclesiae Religionem infecerant, sed et rebelles ipso Romano Rontifici effecti, Urbes, et Oppida Romanae dictionis, caede, et rapinis impleverunt. Et quod pejus erat, ut errores facilius disseminarent, se de tertio Ordine S. Francisci esse jactita-

bant, quandoquidem nullimode illi spectarent, vitam ducentes, et fidem tenentes fratribus 3. Ordinis S. Francisci omnino adversam, et repugnantem; et acta luculenter probarunt, non solum nullum ex Minoribus fuisse de Fraticellorum secta, sed vel ab ipso eorum exordio, fuisse Fraticellos a Minoritis confutatos, præsertim a F. Paulo Trincio, qui Perusiis publice adeo eos de haeresi convicit, quod, ut scribit Wadingus (ad Annum 1374. n. 23. 24.) *cum dedecore; ignominia, et verbere multo, insequentibus, et inclamantibus pueris a toto territorio Perusino exularunt*. Nec non a S. Joanne a Capistrano, e S. Iacobo de Marchia, qui pluries de illis victoriam reportarunt; ac tandem Sectam ipsam totam, tertio reviviscentem penitus deleverunt (1). Vixit Nicolaus in Pontificatu Ann: 2. Men: 8. diebus 27.

§. 281. CXCVII. Martinus IV. Turonensis, electus Pontifex Anno 1281. Sub hoc Pontifice, die nempe 30. Martii 1282., memorandae Vesperae Siculae contigerunt. Sedit Annis 4., Mense uno, diebus 7.

§. 282. CXCVIII. Honorius IV. Romanus, Pontifex creatus Anno 1285. Ordines Carmelitarum, et Eremitarum S. Augustini confirmavit. Ecclesiam gubernavit Annis 2., die uno.

---

(1) Consulatur *Vita S. Iacobi de Marchia* nuperrime a nobis conscripta atque edita Cap: V. VI. XVIII. XXI. Atque ex his clare constat deceptos fuisse qui Fraticellos Haereticos e Fratrum Minorum Familia fuisse dixerunt; et propterea haud recte se gessisse Virum ceteroquin doctissimum Cathedralis Ecclesiae Aversanæ Canonicum, Cajetanum de fulgure, qui Tomo 1. Institutionum Theologic: Append: Lib: II. C. IV. §. XIV. fidenter scribit: *Fraticelli, qui etiam Beguardi Beguini, Bizochi, et fratres spirituales dicti sunt e Familia Fratrum Minorum exorti* etc: Non enim a nobis; dicam cum Wadingo (Laud: loc:) tanti viri pace.

§. 283. CXCIX. Nicolaus IV. Italus ex Ordine Minorum, ad Pontificatum evectus Anno 1287., propter seditiones Romam deseruit, et urbem Reatinam petiit; ubi Cardinales creavit ex omnibus Religiosis Ordinibus. Expeditionem Crucesignatorum adversus Terrae Sanctae invasores promovit; et ipse suo aere exercitum conflavit, misitque in Syriam ad Ptolemaidis defensionem. Licet frustra. Sedit Annis 4., mense uno, diebus 14.

§. 284. CC. S. Caelestinus V. Italus, ex Abbate Ordinis S. Benedicti, sub nomine Petri Moronis, Anno 1294. Pontifex creatus fuit cum jam Petri Sedes per biennium, et tres menses, ob Cardinalium discordiam vacasset. Post quinque menses Pontificatus, imparem se judicans ad tantum onus ferendum, in publico Consistorio abdicavit se Pontificia dignitate, deditque Cardinalibus potestatem alium subrogandi.

§. 285. CCI. Bonifacius VIII. Anagninus, Pontificatum suscepit Anno 1291. Sub hoc Pontifice circa Annum 1296. *Gerardus Sagarellus*, Patria Parmensis auctor fuit novorum *Pseudo-apostolorum*, qui dicebant se soli Christo esse subjectos: decimas non esse solvendas: Matrimonium non esse indissolubile:

Non a nobis collecta (Fraticellorum Secta), *sed dissipata*; *non inter nostros orta*, *sed per nostros extincta*. Hinc Benedictus XIV. (Lib: II. de Canonizatione Sanctorum §. 34. agens de Causa B. Libertati a Lauro, proposita in Sacra Rituum Congregatione, et referens objectionem factam, servum nempe illum Dei fuisse unum ex Auctoribus fraticellorum, inquit: *Ex pluribus, probatisque Scriptoribus demonstrarunt Postulatores, neque hunc neque alium ex ordine Minorum fuisse illius Haeresis auctorem.* Atque haec generatim hic dicta sufficiant, ut pateat, neque vere haereticos fuisse, neque de Fraticellorum secta quos ipsemet vir eximius nominat.

omne iuramentum esse Christianis illicitum etc: Quibus adhæsit *Dulcinus* Novariensis, qui specie charitatis, in Alpibus sex millia hominum utriusque sexus congregarat, impudicissimam vitam ducentes. Hic Pontifex primus Iubilæum instituit centesimo quoque anno celebrandum. Cardinalibus vestes purpureas concessit. Hermanni Fraticellorum auctoris corpus, qui per annos multos ut Sanctus habitus fuerat, exhumari præcepit, atque comburi. Ludovicum IX. Gallorum Regem Sanctorum fastis adscripsit. Philippum Pulchrum Galliæ Regem excommunicavit, et Regni Galliæ titulum Alberto I. Imperatori Austriaco contulit. Sedit in Pontificatu Annis 8., Mensibus 9., diebus 18.

De Pontificibus quartidecimi Sæculi.

§. 286. CCII. Benedictus XI. Tarvisinus, ex Ordine Prædicatorum ad Pontificatum assumptus Anno 1305. Philippum Pulchrum Gallorum Regem a suo prædecessore Bonifacio excommunicatum, absolvit. Hic Pontifex cum oblata ei fuisset mater vestibus sericis induta, negavit illam esse matrem suam, quæ vilibus vestimentis, non sericis uti soleret; sed ea deducta, et prioribus vilibus vestimentis induta, iterum ei oblata, ut matrem publice agnovit, ac veneratus fuit. Sedit Mensibus 8., diebus 6.

§. 287. CCIII. Clemens V. Gallus Vasto. Pontifex fuit electus Anno 1305; postquam undecim mensibus sedes Romana vacaverat. Ex Urbe Roma, Sedem Avenionem transtulit, ubi ipse et successores annis 70. manserunt. Sub eo Concilium Œcumenicum Viennense celebratum fuit contra Saracenos, Templarios, et mores corruptos Ecclesiasticorum; atque damnati Templarii (1); sicuti etiam *Begardi* Anno 1311., quo-

(1) Templarii ita dicti eo quia erant milites equites, qui prope Templum S. Sepulchri, de Ordine illo-

rum aucthores, et Duces fuerant *Iacobus Iusti*, et *Bogonatus* de *Valdensium* secta, et Fraticellis affines, qui ut sua perversa dogmata facilius disseminare possent, se in Franciscanos transfigurabant, cum tamen revera non essent, nisi sæculares pleni dolo, et nequitia, falsam doctrinam disseminantes, atque carnis desideria perficientes. Inter alios namque errores, docebant: Hominem posse in hac vita reddi impeccabilem. Naturam intellectualem naturaliter beatificari, non gratia Dei. Hominem in statu perfectionis, et spiritu libertatis constitutum, ad nullam legem humanam obligari; deosculari mulierem esse peccatum; cum ea vero turpiter agere, non esse peccatum etc. Hic Pontifex Sanctorum albo recensuit Cœlestinum V. Auctor est *Clementinarum*, quæ ab illo ita vocantur; et Regibus Franciæ concessit Communionem sumere sub utraque specie. Sedit Annis 8., Mens. 10., diebus 16.

§. 288. CCIV. Ioannes XXII. Gallus, postquam Sedes Apostolica per duos Annos, Menses 3. dies 17 vacaverat, ad Pontificatum evectus fuit Anno 1316. Hic Pontifex Constitutiones adprobavit, atque publice in Scholis legi jussit; ipse etiam edidit Consti-

---

rum equitum, qui a S. Stephano Ierosolymorum Patriarcha instituti fuerant, et a Pontifice Gelasio II. confirmati (§. 252.). Istorum Ordo utilissimus ab initio fuit Ecclesiae, praesertim pro tuenda et conservanda Religione, ac fide Iesu Christi in Palestina, et quidem innumera servitia Christianis in partibus illis degentibus, vel sanctorum locorum visitatione peregrinantibus, praestitit; sed tractu temporis a recta via declinantes ejus professores, primo ingrati esse coeperunt illis Patriarchis a quibus ditati fuerant; deinde amicitiam cum Saracenis contraxerunt; tandem putidissimos errores docuerunt; inter quos, innominandum crimen; Idololatriam occultam, et Fidei renuntiationem esse licita; Hinc deleti fuere.

tutiones, quas *Extravagantes* vocant. Ad pugnandum contra Mauros Ordinem instituit Equitum Christi. Avenione Sanctorum Cathalogo adscripsit S. Ludovicum Episcopum Tolosanum, et S. Thomam Aquinatem (1). Pontificatum tenuit Annis 18. Mensibus 4.

§. 289. CCV. Benedictus XII. Gallus Tolosanus. Ex Monaco Cisterciensi. Pontifex creatus Anno 1334. Ecclesiasticas censuras confirmavit, quas antea Joannes fulminaverat contra Ducem Bavariæ Imperium Romanum invadere conantem. Consanguineos longe a se removit; cumque illi saepius instarent, ut promoverentur, respondebat: *Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo* (Psal: 18.). Quare sicut Benedictus XI. ne-

---

(1) Non defuerunt aliqui, qui asseruerunt, hunc Pontificem favisse sententiae illorum, qui sustinebant, justorum Animas non esse beatas statim ac a suis corporibus seperantur, sed quod beatae erunt post universalem corporum resurrectionem; adeoque a fide defecisse. Sed hoc nonnisi calumniose fuit illi appositum, quod cum ipsi renuntiatum fuisset, publice se oppositum tenere confessus est, dixit siquidem: *Fatemur, et credimus, quod animæ separatæ, et purgatæ a corporibus sint in Cœlo, et videant Deum facie ad faciem, et divinam essentiam clare* (vid: Raynal: Ad Annum 1334.); et hoc quod corde credebat ad justitiam, et ore confessus est ad salutem, facto confirmavit et exemplo, dum in Sanctorum numerum retulit Ludovicum Episcopum Tolosanum, et Thomam Aquinatem. Quod si ad Philippum Gallorum Regem scribens, facultatem dedit, ut sive ex pulpitis, sive ex Cathedris talis propositio discuteretur, id non alio fine permisit, quam ut posset inveniri veritas, quae nondum erat ab Ecclesia expresse determinata, et definita. Nihil ergo pro perdita ipsorum caussa, adversus Romani Pontificis infallibilitatem ex praedicta calumnia Ioanni XXII. irrogata, obtinere possunt Novatores.

gavit esse matrem sua mulier, quæ serico vestita ei oblata fuit, ita et iste Benedictus, patrem suum non alio, quam molitoris habitu voluit agnoscere. Vixit in Pontificatu Annis 7., Mensibus 4., diebus sex.

§. 290. CCVI. Clemens VI. Lemovicensis. Pontificiam obtinuit dignitatem Anno 1342. Hic emisse fertur Avenionem a Rege Franciæ, atque in jus Pontificium transtulisse. Vir fuit tam stupendae memoriae, ut quidquid semel legisset, semper memoria teneret, et ita firmiter, ut licet vellet, oblivisci nequaquam posset. Sedit Annis 10. Mensibus 7.

§. 291. CCVII. Innocentius VI. etiam Lemovicensis. Ad Pontificiam dignitatem evectus fuit Anno 1352. Præbendas Ecclesiasticas, nonnisi probatissimis Sacerdotibus tam doctrina, quam vita, dedit; jussitque Prælatos omnes ad proprias Ecclesias proficisci. Ecclesiam gubernavit Annis 9. Mensibus 8. diebus 20. Circa finem Pontificatus istius *Richardus Armachanus* Hiberniæ Primas, Fratrum Minorum Ordinem insectatus est, docens: indignum esse Christianis mendicare; et Ecclesiasticam hyerarchiam perturbans, ajebat: in absentia Episcopi, quemlibet sacerdotem Episcopalia munia obire posse. Fuit etiam quidam nomine *Bertoldus* de Rohac, qui non minus impie, quam insipienter asserere non erubuit, Christum in Passione adeo fuisse derelictum, ut de sua salute dubitaverit.

§. 292. CCVIII. Urbanus V. adhuc Lemovicensis Abbas S. Victoris Massiliæ, dum esset in Italia legatione fungens versus Vicecomites, absens electus est Pontifex anno 1362. Hic Pontifex Tiaram Pontificiam triplici corona circumdedit, confirmavit Ordinem Iesuatorum. Instituit benedictionem Rosæ aureæ Dominica *Lætare* in Quadragesima, quam ipse primum misit Ioannæ Siciliæ Reginæ. Agnos Dei a se benedictos nonnullos ad Imperatorem Græcorum direxit; necnon Regulam S. Salvatoris sibi a S. Birgitta oblatam adprobavit. Vixit in Pontificatu Annis 8., mensibus 3.

293. CCIX. Gregorius XI. etiam Lemovicensis, ætatis annorum non pluris quam triginta quinque. Pontifex creatus fuit Anno 1370. Hic Pontifex Sedem Pontificiam Romam retulit. Instituit festum Præsentationis B. Mariæ Virginis; jussitque Symbolum dici in Missa Sanctorum Ecclesiæ Doctorum. Sub eo circa Annum 1372. ortum habuere *Turelupini* Begardi, impudicissimum hominum genus; nudi enim incedebant, et in propatulo coibant, docentes; pudendum non esse de iis, quæ a natura accepimus; addentes præterea non ore, sed solo corde orandum. Rexit Ecclesiam Annis 7., Mensibus 2., diebus 24.

294. CCX. Urbanus VI. Neapolitanus ad Pontificatum assumptus Anno 1378. Sub eo ingens Schisma in Ecclesia obortum est. Urbanum namque hunc crearunt Itali, mansitque Romæ; Galli vero Pontificem elegerunt Robertum Cardinalem Gebennensem, sub nomine Clementis VI., qui Avenionem se recepit; quorum alter in alterum censuris sæviebat; duravitque schisma Annis quinquaginta; nempe usque ad Concilium Constantiense. Præter tale Schisma, ad fidem Catholicam labefactandam surrexit Ioannes Vicleff Anglus Oxoniensis, Sacerdos, qui cum non posset obtinere Episcopatum Vigoriensem, cœpit effutire: In Eucharistia esse purum panem, non Christum; per peccatum mortale amitti potestatem ordinandi, consecrandi, baptizandi etc. Contra Scripturam esse, quod Ecclesiastici bona temporalia possideant. Proinde Constantinum errasse Ecclesiam dotando. Ordinum Religiosorum Institutores peccasse in illorum institutione etc. Hic Pontifex Iubilæum ad Annum trigesimum tertium reduxit; atque festum Visitationis B. Mariæ Virginis instituit 2. die Julii. Pontificiam tenuit dignitatem Annis undecim, mensibus 6., diebus 8.

§. 295. CCXI. Bonifacius IX. Neapolitanus. Triginta tantum annorum erat quando Pontifex creatus fuit Anno 1386. Interim ex parte Gallorum, mortuo

Clemente VII. Antipapa, ei Avenione sufficitur Petrus de Luna, sub nomine Benedicti XII. Bonifacius vixit in Pontificatu Annis 14., Mensibus 17.

De Summis Pontificibus quinti-decimi sæculi.

296. CCXII. Innocentius VII. Sulmonensis Pontifex creatus fuit Anno 1404. Sub eo Tamerlanes cum ingentibus copiis Bajazetum devicit: iram Dei se dicebat. Hic Pontifex decrevit ne in festis Sanctorum Ioannis Baptistæ, et S. Laurentii diceretur Credo, nisi venerint in dominica. Subito, apoplexia decessit, Anno 2. sui Pontificatus.

§. 297. CCXIII. Gregorius XII. Venetus factus Pontifex Anno 1406. sedit 2. an. 7., mens., dieb. 5. Promisit se dimissurum Pontificatum, si Benedictus idem facerent; sed Benedicto fugiente in Cataloniam, revocavit promissum Gregorius; unde uterque in Concilium, Pisis habito, a Cardinalibus deponitur, et tertius sufficitur, nimirum

§. 298. CCXIV. Alexander V. Cretensis. Hic ex Ordine Minorum legitime ad Pontificatum assumptus fuit, Anno 1409. Pontifex fuit magnae doctrinæ, et sanctitatis; in pauperes adeo liberalis ut nihil sibi reservaret, et in fine pauperrimus decesserit post 10, Menses, et dies 18. Pontificatus. Circa quod tempus jam apparuerant *Hussitæ* auctbore *Joanne Hus* qui fuit Bohemus, Sacerdos secularis, Professor universitatis Pragensis; qui inter alios errores docuit, Indulgentias nihil valere: Articulos Viccleffi esse veros; Papalem dignitatem a Cesaribus ortam; Obedientiam Ecclesiasticam esse contrariam Scripturæ. Illi se adjunxit Hieronymus de Praga, cum aliis multis.

§. 299. CCXV. Joannes XXIII. ab aliis XXIV. Neapolitanus, Pontifex creatus Anno 1410. Hic coronavit Romæ Sigismumdum Imperatorem Caroli IV. filium. Sedit 2. an.: 15. diebus. Sub eo *Pichardus* qui-

dam, oriundus e Fandria, eo dementiae devenit, ut filium Dei se esse adfirmaret; aliaque effutiret. Incoepit Concilium Constantiense, et tunc erant tres Pontifices; Joannes, qui degebat Bononiae, Gregorius Arimini, et Benedictus in Hispania. Hi tres, sede privati sunt a Concilio; et illis sufficitur Anno 1477.

§. 300. CCXVI. Martinus V. Romanus, qui sedit an. 14. mens. 3. Ab aliis vocatur Martinus III. Sanctissimæ vitæ erat, et doctissimus. Ipsius pedes deosculatus est Sigismundus Imperator.

§. 301. CCVII. Eugenius IV. Venetus. Ad Pontificiam dignitatem evectus Anno 1431. Sub eo congregatum est Concilium Basileense, in quo factionibus depositus fuit, et ejus loco intrusus est Dux Sabaudiae. Hic postea cessit Pontificatui, et eo deposito, Eugenius Concil. Ferrariae congregavit, quod causa pestis, Florentiam translatum est, in quo Ecclesia Graeca unita est Romanae. Pragmatica Sanctio instituitur. Nicolaus Tolentinas Sanctorum albo adscriptus fuit. Sedit Annis 15., Mensibus 11. diebus 21.

§. 302. CCXVIII. Nicolaus V. ex urbe Lunae in Italia natus. Electus fuit Pontifex Anno 1447. Sub eo Mahumetus II. urbem Constantinopolitanam invasit; in qua crudelitates exercuit incredibiles: Tunc cessarunt Schismata Ecclesiae. Fuit instaurator litterarum et librorum conquisitor, qui quinque millibus ducatorum emit autographum Evangelium S. Matthaei. Quintum Jubilaeum Anno 1450., magno populorum concursu Romae celebravit. S. Bernardinum Senensem Canonizavit. Anno 1452. Romae coronavit Fredericum III. Imperatorem cum Eleonora ejus uxore, Regis Lusitaniae filia. Cum vero Anno sequenti capta esset a Barbaris Civitas Constantinopolitana, uti dictum est, audito tam funesto nuntio, valde doluit; unde contracto lethali morbo, decessit post Annos 8., et dies 19. Pontificatus.

§. 303. CCXIX. Callistus III. Hispanus ex Valen-

tia, ad Summum Pontificatum fuit evectus Anno 1455. Hic Pontifex Vincentium Ferrerium Ordinis Prædicatorum in Sanctorum numerum retulit. Festum Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi instituit, deque ea Officium composuit, ob insignem victoriam a Christianis, duce S. Joanne a Capistrano, adversus Turcas reportatam. Sedit Annis 3., Mensibus 3., diebus 28.

§. 304. CCXX. Pius II. Senensis, antea Æneas Sylvius, in Pontificem electus fuit Anno 1458. Catharinam Senensem Sanctarum Virginum numero adscripsit. Caput S. Andreae Apostoli Amalphi Romam allatum, in Basilica S. Petri, cum maxima Cleri, atque populi veneratione, in sacello ad id magnifice constructo, collocavit. Pontificatum tenuit Annis 5., Mensibus 11., diebus 27.

§. 305. CCXXI. Paulus II. Venetus, Pontificatum assumpsit Anno 1464. Jubilaeum singulis 25. annis celebrari concessit. Mitram Pontificalem praetiosissimis gemmis exornavit. Cardinalibus, praeter vestem rubri coloris, pannum similem, quo equos sternerent, assignavit. Ecclesiam gubernavit Annis 6., Mensibus 10., diebus 26.

§. 306. CCXXII. Xistus IV. Savonensis ex Ordine Minorum Pontifex creatus Anno 1471. Instituit per totam Ecclesiam festum Conceptionis B. Virginis Mariae, de qua ipse Librum conscripsit. Regulam, et Ordinem S. Francisci de Paula approbavit. S. Bonaventuram canonizavit. Per Alphonsum Carillum Archiepiscopum Toletanum, collectis Compluti multis Sacrae Theologiae Doctoribus, damnavit Petrum Oxoniensem, qui tenebat, peccata mortalia per solam contritionem deleri, sine ordine ad Claves Ecclesiae: Confessionem de peccatis in specie non esse de jure divino: Pravas cogitationes sola displicentia, sine confessione absolvi: confessionem esse debere de peccatis secretis, non vero de manifestis; Papam non

posse dispensare in statutis generalibus Ecclesiae etc. Huic Pontifici, per supplicem libellum, Anno 1. sui Pontificatus exhibitum fuit specimen Artis Typographicæ, paulo ante inventae. Ecclesiæ praefuit Annis 13., diebus 4.

§. 307. CCXXIII. Innocentius VIII. Genuensis ad Pontificatum assumptus fuit Anno 1484. Hic cum esset summe pacis amator, multum doluit, dum se vidit coactum ad bellum faciendum contra Regem Ferdinandum, qui tributum nolebat reddere Ecclesiae Romanae debitum ratione Regni Siciliae. Permisit Norvergis Sacramentum conficere sub una specie panis, propter vini penuriam in illis partibus, et quod ubi eo advectum fuerit, mox acescat. D. Leopoldum Austriacum Sanctorum numero adscripsit. Vixit in Pontificatu Annis 7., Mensibus 10., diebus 27.

§. 308. CCXXIV. Alexander VI. Hispanus Valentinus, Pontifex creatus fuit 1492. Praecones Evangelicos in Insulas Novi Orbis a Christophoro Columbo delectos mittendos curavit. Praefuit Ecclesiae Annis undecim, diebus 8.

De Pontificibus sexti decimi sæculi.

§. 309. CCXXV. Pius III. Senensis, ad Pontificatum assumptus Anno 1503. dicitur flevisse dum in actu consecrationis suae dicebantur verba illa depromi solita cum stuppa incensa: *Sanctissime Pater sic transit gloria Mundi.* Revera ne quidem mense uno Pontificatum tenuit, et transiit ex hoc Mundo.

§. 310. CCXXVI. Julius II. Savonensis, Pontifex creatus Anno 1504. Vir fuit excelsi animi, Christianae ditionis assertor intrepidus, bellicosus praeter morem suorum praedecessorum. Sub eo incœpit Concilium Laterenense. Vixit in Pontificatu Annis 9., Mensibus 3., diebus 21.

§. 311. CCXXVII. Leo X. Florentinus ex Familia

Medicea Anno 1513. electus est Pontifex. Pragmaticam Sanctionem abolevit, et Concordatum iniit cum Francisco 1. Rege. Cruciatam publicavit per totum Christianum Orbem. Franciscum de Paula Sanctorum fastis adscripsit. Sub ipso Martinus Lutherus hæreres suas disseminare cœpit; atque in Romanam Sedem debacchare; unde cum audisset, suos libros, jussu Pontificis, fuisse combustos, in vindictam, et ipse jus Canonicum, et Pontificium in Germania publice cremari fecit. Hic, Henrico Angliæ Regi titulum dedit defensoris fidei, quia Lutherum gladio, et calamo impugnaverat. Ecclesiam gubernavit Annis 8., mensibus 8., diebus 20.

§. 312. CCXXVIII. Adrianus VI. ex Flandria, Pontifex creatus fuit anno 1522. Carnis, et sanguinis inspector non fuit; quare et dicere solebat: indignum Petri successorem esse qui plus cognationi, quam Christo tribueret. Sanctum Bennonem Episcopum Misniensem, et S. Antoninum Florentinum in Italia canonizavit. Pontificiam tenuit dignitatem anno uno, Mensibus 8., diebus 6.

§. 313. CCXXIX. Clemens VII. Florentinus. Ad Pontificiam dignitatem evectus fuit Anno 1523., deque familia *de Medicis* fuit. Hic Henricum Octavum Angliæ Regem, ob divortium, contra ejus voluntatem ab ipso factum, excommunicavit (quod causa fuit, cur ipse Princeps, se in Ecclesiæ Anglicanæ caput erexit, statuta pœna capitali contra eos qui Romanum Pontificem agnoscerent). Sub hoc Pontifice, circa Annum 1524. *Andreas Carlostadius*, primus Lutheri discipulus, et primus post Berengarium asserere ausus est, in Sacramento Altaris non esse vere corpus Christi, sed tantum figurative. Circa annum vero 1530. Martinus *Bucerus* docuit, Christi corpus esse in Eucharistia tunc solum, cum sumitur Sacramentum; alias vero non. Ecclesiæ præfuit Clemens Annis 10., Mensibus 10., diebus 7.

§. 314. CCXXX. Paulus III. Romanus, ex Farnesiorum familia, Pontificatum suscepit Anno 1534. Hic contra Hæreses Lutheri Concilium Generale indixit, primo Mantuæ: Secundo Vincentiæ: Tertio Tridenti; At cum nihil illis in locis actum esset, quarto rursus Tridenti inchoatam fuit, anno 1595. Confirmavit Societatem Jesu Anno 1540., sicuti et Congregationem Ursolinarum. Cum vero esset morti proximus, jam redditurus spiritum ad Deum qui dederat illum, dicebat, se maluisse toto tempore vitæ suæ Fratrum Capuccinorum culinæ inservisse, quam Papam fuisse. Sedit Annis 15. diebus 18. Sub eo ortum habuere *Ubiquetarii*, seu *Ubiquistæ*, auctore *Joanne Brentio*, qui negabant Transubstantiationem in Eucharistia, et dicebant, Christi Corpus post Ascensionem esse ubique. Surrexerunt quoque Calvinistæ; aliique sectarii.

§. 315. CCXXXI. Iulius III. Aretinus, Pontifex creatus Anno 1550. Primo sui Pontificatus Anno, nonum celebravit Iubilæum. Vixit in Pontificatu Annis 5., Mense uno, diebus 16.

§. 316. CCXXXII. Marcellus II. Roberti Cardinalis Bellarmini avunculus, ad Pontificatum assumptus est Anno 1565., sed post dies 22., apoplexia sublatus fuit.

§. 317. CCXXXIII. Paulus IV. Neapolitanus, ex illustrissima Caraffarum familia ad Pontificatum evectus fuit Anno 1555. Sacrum Tribunal Inquisitionis instituit; et ne quis veneno hæresis, librorum lectione inficeretur, aut in errores incideret, Librorum prohibitorum indicem publicavit. Iudæis locum peculiarem adsignavit, eosque pileo croceo uti præcepit, ut sic ab aliis internoscerentur. Ecclesiæ præfuit Annis 4., mensibus 2., diebus 24.

§. 318. CCXXXIV. Pius IV. Mediolanensis de familia *Medicea* S. Caroli Borromæi Avunculus, creatus fuit Pontifex Anno 1560. Hic Pontifex Triden-

tinum Concilium absolvit, et confirmavit, Montes Pietatis pro pauperum levamine erexit. Pontificatum tenuit Annis 5., Mensibus undecim, diebus, 15.

§. 319. CCXXXV. S. Pius V. ex Ordine Prædicatorum, ad Pontificiam dignitatem evectus fuit Anno 1566. Multa hic sanctissimus Pontifex præscripsit, et fecit; inter quæ, ut in fine Missae Sacerdotes dicerent Evangelium S. Ioannis. Breviarium, ac libros Rituales, ad Concilii Tridentini ordinationem emendatos, promulgavit. Omnes Christianos, Persas quoque, Moscovitas, et Abyssinos contra Turcas armavit; unde memoranda illa victoria de Turcis a Christianis reportata fuit Anno 1571. Sedit in Pontificatu. Annis 6., Mensibus 3., diebus 24.

§. 320. CCXXXVI. Gregorius XIII. Bononiensis, Pontifex creatus Anno 1572. Hic Kalendarium reformavit per detractionem decem dierum in Mense Octobris Anno 1572., et transferens æquinoctium vernum ab 11. ad 21. diem Martii. Ecclesiam rexit Annis 12. Mensibus 10., diebus 24.

§. 321. CCXXXVII. Sixtus V. de Marchia Anconitana, ex Ordine Fratrum Minorum: Ad Pontificatum assumptus fuit Anno 1585. Vulgatam Bibliorum editionem, incredibili studio, ad nativam reduxit puritatem, Typisque Vaticani edi curavit. B. Didacum Hispanum Minoritam Sanctorum Catalogo adscripsit. S. Bonaventuram inter primarios Ecclesiæ Doctores posuit. Italiam Bannitis purgavit. Admiranda Romæ construere fecit ædificia. Laureto nomen Civitatis, et Sedem Episcopalem contulit. Sedit Annis 5., Mensibus 4., diebus 3.

§. 322. CCXXXVIII. Urbanus VII. Romanus; Pontifex electus anno 1590. post duodecim dies Pontifactus, maximo omnium dolore, e vita migravit.

§ 323. CCXXXIX. Gregorius XIV. Mediolanensis anno 1590. Pontifex electus, Iubilæum extraordinarium pro felici sui Pontificatus inauguratione indixit. Reli-

giosis Claustralibus ad Cardinalatum assumptis pilei rubri usum concessit. Sedit Mensibus 10., diebus 10.

§. 324. CCXL. Innocentius IX. Bononiensis, ad Pontificiam evectus est dignitatem Anno 1591. Post duos menses Pontificatus, veneno, ut ajunt, sublatus est.

§. 325. CCXLI. Clemens VIII. Florentinus, electus fuit Pontifex Anno 1692. Hic fuit vir omnigena virtute præditus, et vere dignus qui ad S. Petri Sedem elevaretur. Solemnissimum celebravit Iubilæum, in quo exemplum omnibus factus est in charitate, qua sublevabat pecuniis pauperes et peregrinos; in humilitate qua ipsorum pedes lavabat, accumbentibus ministrabat, quibus factum est, ut multi Hæretici permoti, ad Ecclesiam redierint. Hyacinthum Polonum, et Raymundum de Pennafort ambo ex Ordine Prædicatorum, Sanctorum Catalogo adscripsit. Ecclesiam gubernavit Annis 13., Mense uno, diebus 3.

De Pontificibus Sæculi decimi-Septimi.

§. 326. CCXLII. Leo XI. Florentinus, antea Alexander *de Medicis*, Pontificatum obtinuit Anno 1605.; sed post dies 25. decessit.

§. 327. CCXLIII. Paulus V. Romanus, ex Burghesiorum familia, Pontifex factus fuit Anno 1605. Summam adhibuit diligentiam ut commotiones Hæreticorum Germaniæ, et Bohemiæ componeret. Franciscam Nobilem Viduam Romanam, et Carolum Cardinalem Borromæum Canonizavit. Festum Sacrorum Stigmatum S. Francisci ad universam Ecclesiam extendit. Sedit Annis 15., Mensibus 10., diebus 15.

§. 328. CCXLIV. Gregorius XV. Bononiensis Anno 1622. Pontifex electus fuit. Quieti Ecclesiæ, et totius Orbis Christiani maxime invigilavit. Quinque Sanctos, videlicet Isidorum, Ignatium, Xaverium Theresiam, atque Philippum Nereum eadem die Romae Canonizavit. Missiones de Fide propaganda indu-

xit. Vetuit ne in privatis colloquiis, aut scriptis, Diva Virgo asseratur in peccato originali concepta. Rexit Ecclesiam Annis 2., mensibus 5.

§. 329. CCXLV. Urbanus VIII. Florentinus, antea Cardinalis Barberinus, Pontificatum obtinuit Anno 1623. Duos Iubilæos celebravit, unum ordinarium Anno 1624., alterum extraordinarium Anno 1628., ad res inter Principes Christianos componendas, qui in diversis Europae partibus dimicabant. Cardinalibus nomen Eminentissimi concessit. Hymnos Ecclesiasticos ad meliorem formam metricam reduxit; item Psalmorum versus ad certam pausam in medio tenendam, asteriscis distinxit. Sedit Annis 21. Mense uno, diebus 24.

§. 330. CCXVLI. Innocentius X. Romanus, ad Pontificatum evectus fuit Anno 1644. Celebravit decimum tertium Iubilæum. Iansenismum late grassantem, edita Constitutione anno 1655. Pontificatus sui Anno 9. extinxit. Rexit Ecclesiam Annis 10. Mensibus 3. diebus 22.

§. 331. CCXLVII. Alexander VII. Italus Senensis creatus fuit Pontifex Anno 1655. postquam vacaverat Sedes tribus mensibus. Festum Conceptionis B. Mariae Virginis cum Octava celebrari præcepit. Sedit Annis 12. Mense uno, diebus 15.

§. 332. CCXLVIII. Clemens IX. Italus Pistojensis Pontificatum suscepit, Anno 1667. Hic Pontifex cum audisset Candiam fuisse amissam, atque in potestatem veræ Fidei inimicorum venisse, tali mœrore correptus fuit, ut contracto morbo, post Annum 2. Mens. 5., et dies 19. Pontificatus e vita migravit.

§. 333. CCXLIX. Clemens X. Romanus. Pontifex fuit factus Anno 1670. postquam per quinque Menses Sedes vacaverat. Anno 1673. celebravit Iubilæum extraordinarium pro rebus in Polonia turbatis. Cajetanum Thienaeum Ordinis Clericorum Regularium institutorem, Franciscum Borgia e Societate Jesu, Phi-

lippum Benitium Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis restauratorem, Ludovicum Bertrandum ex Prædicatorum Ordine, et Rosam a Lima ejusdem Ordinis Monialem inter Sanctos recensuit. Ecclesiam gubernavit Annis 6., Mensibus 2., diebus 23.

§. 334. CCL. Innocentius XI. Italus Comensis, Pontifex creatus fuit Anno 1678. Hujus Pontificis cura, atque sub BB. Virginis patrocinio Vindobona a Turris obsessa liberata fuit, Turcis ab Exercitu fœderatorum, cæsis, aut fugatis; unde Officium, et Festum Nativitatis B. Virginis Mariæ per universam Ecclesiam fuit extensum ob memoriam talis victoriæ, eo die festo recurrente, reportatam. Hugonotti pariter jussi sunt aut Sectam ejurare, aut e Gallia exire. Ad Christianam Moralem puram, integramque servandam, sexagintaquinque Propositiones ex variis libris excerptas, damnavit. Michælis Molinos errores profligavit. Pontificatum tenuit Annis 12., mensibus 10. diebus 20.

§. 335. CCLI. Alexander VIII. Italus, Pontificatum obtinuit, Anno 1689. Venetas in Bello adversus Turcas, armis, pecuniis, atque militibus adjuvit. Reliquias errorum Michaelis de Molinos destruxit. Laurentium Iustinianum Venetiarum Patriarcham, Ioannem a Capistrano, Paschalem Baylon Ordinis Minorum; Ioannem a S. Facunndo Eremitarum S. Augustini, et Ioannem de Deo Ordinis Fratrum Hospitalitatis Fundatorem Sanctorum albo recensuit. Ecclesiam administravit Mensibus 15. diebus 26.

§. 336. CCLII. Innocentius XII. Patritius Neapolitanus, dictus Antonius Cardinalis Pignatellius. Anno 1691. electus Pontifex, maximam erga pauperes liberalitatem exercuit, ita ut Lateranense Palatium in domum pauperibus curandis, et alendis accomodatum mutaverit, et annuis redditibus locupletaverit. Plura gessit laude digna, quæ Hæreticos ipsos in sui admirationem traxerunt. Ecclesiam gubernavit Annis 9., mensibus 2., diebus 15.

§. 337. CCLIII. Clemens XI. Italus Urbinas, Pontifex electus Anno 1700., non sine omnium admiratione, per tres continuos Menses, delatum sibi Papatus honorem renunciavit, nec, nisi Sancti Spiritus afflatu adquievit. Paschalis Quesnelli Presbyteri Galli centum, et unam Propositiones damnavit, edita Constitutione, cujus initium est: *Unigenitus Dei Filius*. Statuit, diem festum Conceptionis BB. Virginis Mariæ de præcepto habendum esse, atque colendum. Solemnitatem quoque Rosarii, ejusdem B. Mariæ Virginis ad universam Ecclesiam extendit. Ad devotionem augendam erga S. Iosephum Matris Dei sponsum, novum ejus Officium ab Ecclesia universa recitandum instituit. Pium V. Pont: Max:, B. Andream de Avellino, B. Felicem de Cantalice Capuccinum, B. Catharinam Virginem Bononiensem Anno 1712. Sanctorum Fastis adscripsit. Pontificatum tenuit Annis 20., Mensibus 3. diebus 24.

De Pontificibus Sæculi Decimi-Octavi.

§. 338. CCLIV. Innocentius XIII. Romanus, ad Pontificatum electus fuit Anno 1721. Festum SS. Nominis Jesu ab universa Ecclesia celebrandum instituit Dominica secunda post Epiphaniam. Post annos duos, menses 9., et dies 28. Pontificatus e vita migravit.

§. 339. CCLV. Benedictus XIII. antea dictus Vincentius Maria *Ursinus*, ex Ordine Prædicatorum, ad Pontificatum evectus est Anno 1724. Clericis usum comarum adscititiarum interdixit. Iubilæum ordinarium decimum sextum totius Christiani Orbis lætitia, anno 1725. celebravit. Indulgentiam centum dierum concessit, qui submissis genibus ad sonitum campanae, quæ ter in die, mane, meridie, et vespere pulsari consuevit, precem *Angelus domini* cum triplici angelica salutatione recitarent; et indulgentiam ple-

nariam semel in Mense. Plures Canonizavit, scilicet Turibium Archiepiscopum Limanum, Iacobum Picenum, Agnetem de Monte Politiano, Peregrinum Latiosium, Ioannem a Cruce, Franciscum Solanum, Aloysium Gonzaga, Stanislaum Kosta, Margaritam de Cortona, et Ioannem Nepomucenum Canonicum Pragensem. Lateranensem Ecclesiam incendiis, vastationibus, Terræ insuper motibus disjectam, eversamque, ac sedula Summorum Pontificium cura reparatam, nova postmodum molitione restauratam, Anno 1726. IV. Cal: Majas solemni ritu consecravit. Ecclesiæ præfuit Annis 5., mensibus 8., diebus 23.

§. 340. CCLVI. Clemens XII. Florentinus, Pontificatum obtinuit Anno 1730. Sanctorum Catalogo adscripsit Vincentium a Paulo Presbyterum sæcularem, Ioannem Franciscum Regis Societatis Jesu, Iulianam de Falconeriis, et Catharinam Fliscam Adurnam. Constitutione, quæ incipit: *In eminenti*, Societatem, quæ *de' Liberi muratori* vulgo dicitur, proscripsit. Sedit Annis 9., mensibus 6., diebus 25.

§. 341. CCLVII. Benedictus XIV. Bononiensis, vir omnigena eruditione praeditus; Pontifex electus fuit anno 1740. Romae plures Ecclesias, atque publica ædificia vel reparavit, vel de novo extruxit. Veteres inter Romanam Curiam, et Reges Hispanos de jure Patronatus in Ecclesiastica beneficia controversias sustulit. Multa docte atque erudite scripsit. Ioan. V. Lusitanorum Regi, titulum *fidelissimi*, concessit. Nova edita Constitutione *Liberos Muratores* damnavit. Senio confectus, et longa infirmitate probatus, post Annos 18. Pontificatus laudabiliter absolutos, decessit.

§. 342. CCLVIII. Clemens XIII., antea Carolus Cardinalis Rezzonicus Venetus, cum mensibus 2., et diebus 3. sedem vacasset, Anno 1758. electus fuit Pontifex. Hic vir fuit miræ liberalitatis in pauperes, et zelo Christianæ Religionis tuendæ summe incensus. Festum Sacratissimi Cordis Iesu adprobavit. Sedit Annis 10., mensibus fere 8.

§. 343. CCLIX. Clemens XIV. Ariminensis, antea dictus Laurentius Ganganelli, e Minorum Conventualium familia ad Pontificatum evectus fuit Anno 1769. Societatem Iesu Anno 1773. extinxit; sicuti etiam Monacos Cœlestinos in Galliis, et Congregationem Canonicorum Regularium S. Rufi, instante Rege, abolevit. Summa dexteritate in negotiis expediendis, effecit, ut in Romani Pontificis dominio Avenionis Civitas, ducatus Beneventanus, et Pontis corvi Civitas reciperentur. Ecclesiam gubernavit Annis 6., mensibus 4.

§. 344. CCLX. Pius VI Cæsenas, antea Ioannes Angelus Braschi, Pontifex creatus fuit Anno 1774. Hic omnem diligentiam adhibuit quo fides Catholica, a serpentibus per universum erroribus, pura servaretur, atque sana. Ordinem Canonicorum Regularium S. Antonii Abbatis in Gallis, postulante Rege, suppressit. Vindobonam ad Iosephum II. Germaniæ Imperatorem se contulit, ab eoque honorifice exceptus, quæ Ecclesiæ erant, summa dexteritate, atque prudentia componere cum eo curavit. Orta vero in Galliis memoranda seditio, tot mutationum, atque tristium eventuum caussa, nihil prætermisit quominus rebelles ad officium revocarentur, publica tranquillitas restitueretur, et tempestas valida contra Ecclesiam oborta cessaret. Sed frusra; quin potius Gallorum copiae, superatis Alpibus Italiam pervaserunt, atque pluribus Pontificiæ ditionis Urbibus per summam perfidiam occupatis, Romam irruperunt, et capto Pontifice, illum Valentiam in Delphinatu adduxerunt, ubi ærumnis confectus, diem extremum clausit. Ecclesiæ præfuit Annis 24., mensibus 6., diebus 14.

De Pontificibus Decimi-Noni Sæculi.

§. 345. CCLXI Pius VII. Cæsenas, antea Gregorius Barnaba Claromontius, Ordinis S. Benedicti,

a Cardinalibus, qui Roma expulsi in Imperatoris ditione se receperant, postquam Sedes vacaverat mensibus 6., diebus 17. Venetiis creatus est Pontifex Anno 1800. Statim animum, omnemque curam convertit reparandis jacturis, quas Christiana Religio in Gallia passa fuerat. Hinc Concordatum cum Gallicanae Reipublicae Gubernatoribus confecit, pro illorum temporum ratione, satis utile; atque a Napolione Bonapartio, tunc Gallorum Imperatore designato, Parisiis accersito, illic se contulit, eumque sacro oleo unxit. Ex qua re spes magna affulgere visa est, fore aliquando, ut Christianæ Religionis negotia optatum felicem exitum haberent. Non ita tamen, ut sperabatur evenit. Galli enim, sicut multos Italiae Principes, ita et ipsum Pontificem Pium suis ditionibus spoliare non sunt veriti: Hinc Anno 1800. Urbe potiti, cum variis modis illius constantiam labefactare non posse viderent, Anno 1809., quarto Idus Junii, noctu illum aggredientes, vi Roma abduxerunt, cum interim ipse Pontifex excommunicationis Bullam contra tanti facinoris Auctores, consultores, fautores etc: edidisset. Ab Urbe raptus, primo Gratianopolim, deinde Savonam perductus est; ex qua, post tres Annos, exturbatus, Galliam perductus fuit; atque apud Fontem Bellaqueum per Menses 18. detentus; tandem post varia discrimina, atque virtutum edita documenta, facta ei potestate in Italiam redeundi, Anno 1814. 9. Cal: Junias Romam rediit, a suis Populis tanta laetitia, atque exultatione exceptus, quanta forsan antiqui Cæsares post partas victorias, triumphantes, Romam ingredientes excepti non fuere. Suæ Sedi restitutus Pius, ad reparanda damna, et Fidei, et reipublicae ab hostibus illata, animum applicuit. Legum æquitatem, et judiciorum ordinem restituit. Liberos Muratores, aliosque Sectarios, Ecclesiæ non minus, quam Societati perniciosos damnavit. Societatem Iesu, in pristinum Statum restituit. Religiosos, sa-

crasque Virgines e Claustris expulsos, ad propria Cænobia restituit. Concordata cum variis Regibus confecit; atque edita Constitutione, quæ incipit: *Ecclesiam a Jesu Christo*, Carbonarios etc: anathemate percussit. Longum nimis esset hujus Pontificis veri Pii, vicissitudines, praeclara gesta, atque virtutes edicere. Tandem post Annos 23., menses 5., dies 5. Pontificatus, in Domino quievit.

§. 346. CCLXII. Leo XII. Antea Hannibal della Genga, ad Pontificatum evectus fuit Anno 1823. Zelo Religionis propagandae incensus, media adhibuit opportuna, quibus serpentes errores destruerentur, et Catholica fides in suo splendore apud omnes conspiceretur. Vir in miseros, et pauperes misericors, atque profusus, affabilitate preclarus, jure nemo a se habuisse repulsam, conqueri potuit. Iubilæum Romæ celebravit, tantaque devotione processiones comitabatur, ut omnes in admirationem maximam raperentur. Franciscum I. Borbonium, Siciliarum Regem, atque Mariam Elisabeth, Reginam mira affabilitate excepit, eodem Jubilaeo recurrente, eosque a visitationum pluritate causa lucrandi Indulgentias absolvit; atque propriæ manu Eucharistiæ Sacramento refecit. Vixit in Pontificatu Annis 5., Mensibus 4., diebus 18.

§. 347. CCLXIII. Pius VIII. antea Franciscus Saverius Castiglione, Pontifex creatus Anno 1829. Hic mala licet effectus valetudine, studium dilatandae Religionis, et fidei augendæ non remisit; atque optimi Pastoris partes, ac solertissimi Principis explevit. Sub eo in Anglia, Irlanda, et Scotia Catholicorum emancipatio, obtenta fuit. Ecclesiam gubernavit Anno 1., Mensibus sex, diebus 3.

§. 348. CCLXIV. Gregorius XVI. Maurus Cappellari antea dictus, ex Ordine Camaldulensium ad Pontificiam dignitatem evectus fuit 2. Februarii Anno 1831. postquam sedes vacaverat Mensibus 2., diebus 2. Iam Mensem Pontificatus habet. Ast Christus Do-

minus, cujus ipse vices gerit in Terris, per plurimos annos eum incolumen servet, eique sit semper dextris auxiliator fortis adversus omnes, qui tribulare eum audent; impleatque desideria ipsius pro Ecclesiæ exaltatione, et pace, atque pro felicitate gregis suæ curæ concrediti, ut videant justi et laetentur, videant impii, et afficiantur pudore; nec non avertantur retrosum, et erubescant, quicumque cogiant illi mala, et gratis oppugnare conantur; mutaque fiant labia dolosa illorum qui sermonibus odii circumdare eum non verentur (1).

DE CONCILIIS.

§. 349. Quoniam *Deus*, ut ait Psalmista (Psal: 88. v. 8.) *glorificatur in Concilio Sanctorum*; et Iesus Christus suam assistentiam specialem, in nomine suo congregatis infallibiliter promisit, dicens (Matt: Cap: XVIII. v. 20.): *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, non abs re ab Apostolorum tempore, cum grave aliquod vel fidei, vel morum urgeret negotium, consueverunt in Ecclesia celebrari Concilia. Ne ergo aliquid desit, quod in hac materia, Theologiæ studentibus instru-

(1) In texenda Summorum Pontificum chronologica serie, Antipapas quoque, sive Pontifices Schismaticos complexi fuimus, non quod in illis Pontificiam potestatem, aut jus aliquod in Ecclesiam, aut Iesu Christi vices, recognosceremus; scimus namque illos non vere Pastores fuisse, sed potius lupos feroces sub pastoris veste, et fures atque latrones, qui aliunde, e non per ostium in Ecclesiae gubernium intrarunt, sed hoc tantum consilio, ut seriem Chronologicam texeremus illorum, qui successive Petri sedem occuparunt, indigitando quis fuerit, quo Anno Ecclesiam regendam susceperit, quid agerit, et quanto tempore Pontifex fuerit.

ctioni esse possit; Quæ de Conciliis scienda sunt, distinctis Capitibus dilucide explanabimus.

CAPUT I.

De Conciliorum natura, eorumque varietate.

§. 350. *Def.* 1. *Concilium, est Procerum Ecclesiæ in locum aliquem congregatio, a legitimo Superiore facta ad tractanda, atque definienda graviora aliqua Ecclesiae negotia.* Atque duplex est, *Generale* nempe, et *Particulare*; atque istud quidem, vel est *Nationale*, vel *Provinciale*, vel *Diœcesanum*, sive *Episcopale*.

§. 351. *Def.* 2. *Concilium* Generale, *quod etiam* Œcumenicum, *et* universale *dicitur, est illud, in quo a legitimo supremo superiore, omnes totius Orbis Episcopi convocantur, ut nisi sint legitime impediti, in designatum locum conveniant.*

§. 352. *Schol;* Porro ad Concilii Generalis valorem, aliquæ conditiones necessariae sunt; Prima: ut Concilii convocatio fiat a Supremo legitimo Superiore; secunda ut convocatio sit generalis, ita ut omnibus Christianis Provinciis innotescat; Tertia, ut nullus Episcoporum undecumque veniat, excludatur, dummodo constet eum esse Episcopum, et minime excommunicatum. Quarta, ut præter summum Pontificem, adsint sive per se, sive per alios quatuor paecipui Patriarchæ, scilicet Constantinopolitanus, Alexandrinus Antiochenus, et Ierosolymitanus.

§. 353. *Animad*: Esto ad Conciliorum generalitem valorem requiratur convocatio generalis; non est autem necesse, ut omnes, et singuli Episcopi, qui toto terrarum Orbe sunt dispersi, de facto conveniant; sed sufficit ut saltem ex majori parte Christianarum Provinciarum aliqui conveniant. Revera si Concilium fit in Oriente, semper visum est sufficere si ex Pro-

vinciis omnibus Orientis conveniant multi; ex toto autem Occidente mittantur aliqui a Summo Pontifice qui locum suppleant illorum qui desunt.

§. 354. *Def.* 3. *Concilium Nationale illud dicitur, in quo Archiepiscopi unius tantum Nationis, vel Regni sub uno Primate, vel Patriarcha conveniunt*

§. 355. *Def.* 4. *Concilium Provinciale illud est, in quo Episcopi unius Provinciæ sub illius Archiepiscopo conveniunt.*

§. 356. *Def.* 5. *Concilium Episcopale, vel Diæcesanum est illud, in quo ab Episcopo suæ Diæcesis Pastores, et Presbyteri convocantur.*

§. 357. *Animad.* De Conciliis acturi, quæ Concilia Generalia tantum spectant expendemus. Tempus namque, et otium nobis non est, quod in singulis percurrendis impendamus.

CAPUT II.

De Conciliorum Generalium convocatione.

§. 358. *Animad*: Cum Hæretici Summum Pontificem, neque ut Christi in Terris Vicarium, neque Caput Ecclesiæ agnoscere velint (§. 25.) quinimmo eum Principibus sæcularibus subesse dicant; Hinc est quod circa jus Generalia Concilia convocandi, variæ sint.

Auctorum sententiæ.

§. 359. Lutherus (Lib: de Concil:), Calvinus (Lib: IV. Inst:), Centuriatores Magdeburgenses (Centuria IV.), eorumque asseclæ volunt, jus Concilia Generalia convocandi, non esse penes Romanos Pontifices, vel penes Ecclesiam, prout complectitur animarum Pastores, sed penes Imperatores. Catholici, e contra, jus illud solius Summi Romani Pontificis

proprium esse defendunt, ita tamen, ut possit etiam alius, consensiente Pontifice, Concilium convocare, quin etiam sufficiat, si Pontifex convocationem jam factam ratam habeat, et confirmet. Quod si nec ipse convocat Concilium, nec alius de suo ipsius consensu vel ordine nec ipse saltem approbat convocationem, tunc non Concilium erit illud, sed conciliabulum (1).

PROPOSITIO I.

Solus Romanus Pontifex jus habet Concilium Generale convocandi.

§. 360. Probatur. Concilium ab eo convocari debet, qui est legitimus Ecclesiæ Pastor, atque superior (§. 352.); Atqui Summus Pontifex est legitimus Ecclesiæ Pastor, et superior (§. 142.); Ergo etc. Deinde ille jus habet Concilium convocandi, qui superior est omnibus aliis Ecclesiæ Proceribus; habetque jus omnes alios Proceres in locum aliquem convocandi; Atqui talis est Summus Pontifex, qui habet super Universam Ecclesiam potestatem, ut Christi Vicarius, et Petri successor (§. eod.); Ergo etc. Ulterius ille jus habet Coucilium Generale convocandi cui Ecclesiæ totius negotia Fidem, et mores spectantia, sunt concredita; Atqui non Imperatoribus, sed Divo Petro et Successoribus, Fidei, et morum depositum est concreditum; et ad ipsum spectat, quæ Fidei, et Dei sunt tractare; Ergo etc. Tandem ille jus habet Generale Concilium convocandi, qui jus habet ferendi Leges Universam Ecclesiam obligantes, et cui cuncti sive Laici, sive Clerici cujuscumque ordinis, et dignitatis, tamquam Supremo

(1) *Ita* Bellarm. *de Concil. Lib. I. Cap. 12.*

capiti obtemperare debent; Atqui talis est Romanus Pontifex (§. 82.); Ergo etc.

§. 361. Probatur 2. Traditione. S. Marcellus Papa et Martyr sic ait (Ep. ad Episc. Prov. Antioch. an. 296.) de Apostolis: *Iidem inspirante Domino constituerunt, ut nulla Synodus fieret præter auctoritatem Summi Pontificis.* Hoc ipsum repetit, paucis verbis mutatis, Gregorius VII. (Epist. Gaud:), dicens: *Ipsi Apostoli, et eorum successores, Domino inspirante, constituerunt, ut nulla fieret Synodus præter Romanæ Sedis Auctoritatem.* Pelagius II. (Constit. Manifesto) inquit: *Generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari privilegio tradita est.* Leo X. (Constit Pastor aeternus.), paucis rem totam plane conficit, scribens: *Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, et potestatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione constat.* Ergo etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 362. *Objic*: I. Constans Scriptorum sententia est octo priora Concilia Generalia fuisse ab Imperatoribus convocata; Ergo jus etc. Imperatores, non Pontifices habent.

§. 363. R. dist. ans. Octo priora etc. consensientibus, et approbantibus Romanis Pontificibus, conc.; jure proprio Imperatorum, nego etc., et consm. Octo priora Generalia Concilia fuerunt quidem ab Imperatoribus convocata, at non jure proprio, sed ex consensu, et approbatione Summi Pontificis. Et sane Con-

cilium Nicænum I., non tam a Constantino, quam a Sylvestro Pontifice congregatum, testantur Acta VI. Synodi, ubi (Act. 18.) legitur: *Constantinum, et Sylvestrum Synodum apud Nicæam congregasse*. Concilium Constantinopolitanum, ut convocaretur, jam Damasus Papa, anno præcedenti literas miserat Theodosio Imperatori, ut præfato Pontifici scribunt Episcopi in eo Concilio congregati, dicentes: *Mandato literarum superiore anno a vestra reverentia ad Sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus*. Concilium Ephesinum de consensu Pontificis Coelestini I. fuisse a Theodosio juniore convocatum, ex relatione ipsius Concilii ad Imperatorem missa, luculentissime patet; Sic enim in eo legitur (Act. III.): *Antequam hæc Sanctissima Synodus conveniret Cælestinus sanctissimus magnæ Romæ Episcopus, per literas suas indicaverat, Cyrilloque sanctissimo, ut suas vices subiret, commiserat*. Concilium Chalcedonense, jussu et auctoritate Summi Pontificis fuisse convocatum, testantur Episcopi, Epistola quadam ad Leonem Imperatorem, his verbis: *In Chalcedonensium Civitate multi Sancti Episcopi convenerunt per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui vere caput est Episcoporum*: Similiter de aliis Conciliis ostendunt Bellarminus (1), et alii. Ex quo clare patet, quam rationabiliter in Concilio Nicæno fuerit a Patribus statutum: *non debere, absque Romani Pontificis sententia, Concilia celebrari* (2).

§. 364. *Contra*. Atqui Imperatores Concilia supradicta convocarunt quia revera ipsorum jus erat Concilia convocandi; Ergo n. r. Prob. subm. Si jus

(1) *Lib. I. de Conciliis Cap. XIII.* Contin. Berti *Tract. de Loc. theolo. Lib. III. Cap. I.*

(2) Athanasius *apud* Gregorium VII. *in Apologet.*

convocandi Concilium generale penes Pontificem Romanum et non penes Imperatorem esset, quoties opus fuisset aliquod Generale Concilium convocare, Pontifex non rogasset Imperatorem, ut Concilium convocaret; Atqui rogabat; Ergo etc.

§. 365. R. dist. min. Rogabat Imperatorem, quia in eo agnoscebat jus Concilium convocandi, nego min., aliis justis de causis, conc. min., et nego consm. Esto Summus Pontifex optime nosset, jus Generale Concilium convocandi penes se esse, pluribus tamen de causis ferebat ut ab Imperatore convocaretur, immo eum rogabat ut convocaret. Cum namque in aliqua Imperatoris Civitate Concilium celebrari deberet; cumque ut Episcopi eo transferrentur, ingentes sumptus pro itinere, et aliis necessariis consumere deberent, ad quos impares erant; cumque, ut alia taceamus, externa vi, et potentia coactiva opus haberet Pontifex tum ut rebelles refrænaret, et in officio contineret, tum ut Concilium felicem exitum haberet, et illius Statutis debitam obedientiam praestarent; sano proinde, prudentique consilio Pontifex ad Imperatorem recurrebat pro Concilii convocatione. Cæterum de auctoritate, et jure ipsius semper celebrabatur (§. 363.) Concilium, licet auctoritate Imperatoris diceretur fuisse convocatum.

§. 366. *Contra*. Atqui Summi Pontifices, Imperatores rogabant ut Concilium convocarent, non alia de causa, nisi quia jus in ipsis agnoscebant convocandi Concilia; restat ergo argumentum. Prob: subsm. Liberius Papa apud Theodoretum (Lib: II. Cap: VI.) concessit, apud Imperatorem esse jus convocandi Concilia Generalia; Ergo etc:

§. 367. R. neg: antec: et consm. Inter alia Magdeburgentium mendacia hoc sane minimum non est, Liberium nempe Papam in Imperatore jus agnovisse convocandi Concilium Generale, illudque ipsi cessisse. Nam quo in loco, in toto illo Dialogo inter Li-

berium, et Constantium Imperatorem, a Theodoreto relato, mentio fit talis cessionis? immo quo in loco fit saltem mentio de hujusmodi quaestione, cujus nempe jus sit Concilia Generalia convocandi? Nullibi certe. Solum hoc fecisse Liberium patet, petiisse nempe ab Imperatore Constantio, ut Concilium Generale celebrare permitteret; idque non quia in eo jus agnoscebat generale Concilium convocandi, sed quia sciebat, Concilii convocationem, sine permissu, et voluntate Imperatoris, exequi non posse.

§. 368. *Objic.* II. Si apud Pontificem Romanum, et non apud Imperatorem jus esset Concilium Generale convocandi, tribus prioribus saeculis Ecclesiae Concilia Generalia celebrata fuissent; Atqui celebrata non fuerunt, non obstante quod necessitas illa celebrandi frequens esse poterat; Ergo etc.

§. 369. R. dist. maj. Si apud etc., si tamen, sicut jus, ita et externam facultatem haberet tunc Pontifex Concilium convocandi, conc:; secus n. maj: Atqui etc:, dist: min:, defectu juris, nego min: defectu potestatis exterioris, conc: min; Ergo etc, n. consm. Cum ad Generale Concilium ex omnibus Terrae partibus Ecclesiae Proceres in aliquem locum designatum convocari debeant, non sufficit ut quis habeat jus Concilium convocandi, ut convocatio sortiatur effectum suum, et Concilium reapse celebretur, sed necessario quoque requiritur, ut habeat in foro externo vim, atque potestatem ad effectum reducendi jus tale. Cum ergo tribus prioribus Ecclesiae Saeculis, ob Imperatorum Gentilium inhumanas persequtiones, in statu non erant Pontifices libere uti propriis juribus, et actus exteriores proprii officii libere, et absque obstaculis exercere; hinc est, quod licet in Pontifice jus esset, et spiritualis interna potestas Concilia Generalia convocandi, et necessitas quoque esset, ut illa convocarentur, convocata tamen non fuerunt ob defectum virium, et mediorum externorum,

quae omnino ad id requirebantur; et quae a Potentatibus, et Principibus illius temporis frustra sperabantur. Et en ratio cur sub Imperatoribus Christianis Concilia Generalia celebrari coeperint; quia nempe Imperatores, utpote Catholici, suam potestatem, et vim externam ad illa exequenda necessaria subministrabant.

§ 370. *Contra.* Atqui non defectu virium externarum, atque aliorum mediorum, prioribus Ecclesiæ sæculis, Concilia celebrata non fuerunt, sed quia jus ea convocandi erat penes Imperatores Christianos, et non penes Romanum Pontificem; Ergo n. r. Prob: subsm. Quando orta est Antiochiae contentio de legalibus, certe furor Judaeorum in Apostolos, eorumque persequutio in omnes, qui nomen Christi invocabant erant tam vehemens, ut non possent fideles palam Religionem Christianam profiteri, quin statim verberibus, fame, et ferro subjicerentur; et tamen Ierosolymis coactum fuit Concilium, in quo omnia feliciter cesserunt; Ergo non defectu etc.

§. 371. R. admit: ans, neg. consm. Esto tempore Concilii Ierosolymitani fureret quammaxime Iudæorum perfidia adversus Apostolos, aliosque omnes Christi fideles; adhuc tamen tam difficilis non erat Concilii convocatio, sicut postea difficilis evasit tribus sequentibus saeculis. Nam Apostoli, et alii discipuli Christi Domini Episcopi, nondum omnes ita dissitas Regiones, ubi postea iverunt, perrexerant, sed maxima ex parte Ierosolymis adhuc morabantur; unde facile fuit eos colligere in locum aliquem, atque controversiam illam discutere; quod jam fecerunt. Et sane si fideles, ut ex D. Paulo habemus (Cor. I. XI.) sæpius solebant in Ecclesiam convenire, praesertim in Sabatis, non obstante Iudaeorum persequutione, immo quandoque in tanta multitudine conveniebant, ut opus fuerit creare Diaconos, qui praeessent mensis, et omnia cum charitate administrarentur, et cum devo-

tione, et modestia peragerentur, quae difficultas esse poterat ne congregarentur Apostoli, et Seniores Jerusalem existentes ad tractandum illud Ecclesiæ negotium?

§. 372. *Contra.* Atqui si jus convocandi Concilium generale foret penes Pontifices, et non penes Imperatores Christianos, etiam furente quacumque persecutione, in tribus prioribus Ecclesiae saeculis, Generalia Concilia convocata fuissent, restat ergo argm. Nulla certe immanior persequutio unquam fuit adversus Christi fideles, et presertim Episcopos, atque animarum Pastores, quam illa quae labente saeculo tertio a Diocletiano, et Maximiano mota est; et tamen, in actu quo illa magis insaeviret, atque fureret, et Pontifex ipse Marcellinus, timore perculsus, dando Idolis incensum, defecerat, Concilium 300. fere Episcoporum, ut ajunt, Sinuessae (§. 113.) congregatum fuit; Si ergo in defectu ipsius Pontificis tale Concilium convocari potuit; quid si jus, et auctoritas Pontificis in eo convocando accessisset? certe multo plures confluxissent Episcopi; Ergo etc.

§. 373. R. ad argm. Et primo certum non est, Episcopos in eo Concilio collectos fuisse 300., ut quidam volunt. Sed dato etiam quod fuerint 300., quid inde? Tam difficile, quale praesumitur, non fuit, sæviente persequutione tale Episcoporum numerum simul in unum convenire. Nam ab Apostolorum Principibus, aliisque eorum Discipulis, Episcopi multi in Civitatibus, quae modo Neapolitanum Regnum constituunt, creati fuerant; potuerunt ergo omnes illi, in tali necessitate Ecclesiae, lapsus nempe Pontificis, accitis quoque secreto, e Roma, aliisque vicinis Regnis, aliis quibusdam Episcopis, vigilantiam persecutorum eludere, et Concilium celebrare. Non sic autem evenire poterat occasione celebrandi Concilium Generale; Nam cum ex omnibus Orbis Catholici partibus Episcopi vocari ad Concilium debuissent; quomodo in tristibus illis temporibus id perfici potuisset, quin

n discrimen vocarentur et Pastores, et oves illis concreditae? Ultraquamquod; Si Romanus Pontifex in materia fidei, et Morum infallibilis est, neque opus habet Concilio ut Haereses interimat, errores damnet, et fidei integritati consulat, quia haec omnia per seipsum facit; ad quid convocare Concilia Generalia in tanta temporum difficultate? Restat etc.

PROPOSITIO II.

In Conciliis Generalibus cum jure suffragii decisivi vocandi sunt. Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi; ex privilegio autem, et consuetudine Cardinales, Abbates, et Generales Ordinum.

§. 374. Probatur 1. pars. In Conciliis generalibus caussæ fidei, et morum agitantur, et definiuntur; Ergo illi solum habent in eis jus suffragii decisivi, qui sunt fidei depositarii, qui peculiari Spiritus Sancti assistentia potiuntur ne errent, qui curam habere debent de ovibus sibimetipsis concreditis easque scientia, atque doctrina pascere; atqui tales Sunt Patriarchæ, Primates etc., ipsis namque dicitur (I. Petri Cap. V.): *Pascite, qui in vobis est gregem Christi* (Matth. XXVIII. v. 20.): *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (I. Timoth. Cap. VI. v. 20.) *depositum custodi*; Ergo etc. Quare Alexius Commenus Imperator (In Novella de Doctor. lib. I. juris orient.) ait: *Potestatem docendi populum solis Episcopis datam esse, et magnæ Ecclesiæ doctores Patriarchæ jure docere etc.*

§. 375. Probatur 2. pars. In Conciliis Basileensi, Florentino, Lateranensi sub Leone X., et Tridentino Cardinales nonnulli, Abbates, et Generales Ordinum suffragium habuerunt decisivum; Atqui isti, huju-

smodi suffragium jure proprio non habebant (§. 374.); Ergo ex privilegio habuerunt.

Argumentis oppositis occurritur.

§. 376. *Objic.* 1. Causa quæ communis est, communibus suffragiis definienda est; sed causa quæ in Conciliis agitatur, cum sit causa fidei, vel morum, omnibus fidelibus communis est; ergo communibus etc.; adeoque etc.

§. 377. R. Causa quæ in Conciliis agitatur utique communis est omnibus fidelibus, sed non ex æquo. Ad Prælatos namque spectat ut Doctores, et Pastores, ad cæteros vero ut discipulos, et oves; propterea illi, non alii habent jus suffragii decisivi. Quare Theodosius Junior ad Ephesinam Synodum scribens ait (Tomo I. Concil. Ephes. Cap. 32.): *Illicitum est, eum, qui non sit in ordine Sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.*

§. 378. *Contra.* Atqui causa Fidei æque communis est, tum scilicet Clericis, cum Laicis; Ergo n. r. Prob: subsm. Nicolaus I. in Epistola ad Michælem Imperatorem, quae habetur etiam distinctione 96. *Ubinam*, haec habet: » Ubinam legistis, Im» peratores antecessores vestros Synodalibus conven» tibus interfuisse, nisi forte in quibusdam, ubi » de Fide tractatum est, quae universalis est, quae » omnium communis, quae non solum ad Clericos, » verum etiam ad laicos, et omnes omnino pertinet » Christianos ». Ergo causa Fidei etc:

§. 379. R. Ex laudato Nicolai Pontificis dicto, nihil aliud colligi potest, nisi hoc, Imperatores nempe Christianos teneri, quoties opus sit, sumere arma, et scudum et exurgere in adjutorium Episcoporum in Concilio congregatorum, interesse ipsorum decisionibus, ut fidei definitiones, et Concilii decreta defen-

constituti sedentes, et suffragium decisivum dantes, Ecclesia ipsa dicitur in Concilio adunata.

§. 382. *Objic.* II. Ab Apostolorum aetate in Concilio cum jure suffragii decisivi convenerunt alii quoque, praeter Episcopos; Ergo n. r. Prob. subsm. Tempore Apostolorum orta controversia de observatione legalium, *convenerunt Apostoli, et Seniores videre de verbo hoc* (Actor. XV.), et infra: *Tunc placuit Apostolis, et Senioribus cum omni Ecclesia etc.*; Ergo etc.

§. 383. R. In Concilio Apostolorum, praeter ipsos, interfuerunt quidem alii Seniores, hoc est Presbyteri, non quidem ad definiendum, sed ad consulendum; immo et plebs ipsa interfuit, licet non vocata, ut audiret quae resolverentur, et non reclamando approbaret. De facto in eo Concilio, completa disquisitione, quae inter Presbyteros habebatur, solus Petrus dixit sententiam, nec alii amplius loquuti fuere, praeter Paulum, Barnabam, et Jacobum, qui erant Apostoli, et Episcopi; quibus loqui cessantibus, subjungitur: *Tunc placuit Apostolis etc.*

§. 384. *Contra.* Atqui in Concilio Generali, cum jure suffragii decisivi praeter Episcopos alii quoque convenere; Ergo etc: Prob: subsm. In Concilio Calcedonensi ab Imperatoribus Valentiniano, et Marciano missi fuerunt judices, qui quidem auctoritatem exercuerunt; Ergo etc.

§. 385. R. Dist: ans. In Concilio etc: ad ferendum suffragium decisivum, illudque praestarunt; nego ans; ad alios fines, conc:; Ergo etc: n. consm. Non ad ferendum in Concilium Calcedonense suffragium decisivum praedicti judices missi fuerunt, neque de facto suffragium ullum dederunt, sed ut curarent quae pacem respiciebant, pacificumque congressum, et ut omnia recto ordine, et sine tumultu aliquo, aut perturbatione absolverentur. Quod autem missi, *judices* appellati fuerit, id non ita intelligen-

dum est, quasi in Concilio et judices cum Episcopis sedere deberent, et fidei causas definire, sed quia, qui tunc missi fuerunt, erant jam officio judices causarum laicarum.

§. 386. *Contra.* Atqui etiam alii praeter Episcopos suffragium decisivum habent in Generali Concilio Ergo stat argumentum. Prob: subm. Neminem latet in Concilio Generali, praeter Episcopos, Cardinales quoque Abbates, et Ordinum Regularium Generales votum decisivum habere. Ergo etc.

§. 387. R. dist. ans: Et hoc est ex privilegio, quod illis a Pontificibus concessum est, conc:, ex jure divino, n. ans.; Ergo etc:, n. consm. Cardinales, Abbates, atque Ordinum Regularium Generales non jure divino, sed ex concessione habent jus suffragii decisivi, eoque fruiti sunt in Conciliis Basileense, Florentino, Lateranense, et Tridentino.; adeoque licet ex seipsis, et intrinsece tale jus, non habeant, eo tamen fruuntur ex privilegio ipsis ab Ecclesia concesso. Ipsorum ergo exemplum nihil valet ed nostram thesim labefactandam, cum praeter illos, nulli ex Laicis, saltem ex privilegio, jus competat suffragii decisivi in Generali Concilio.

CAPUT II.

De Præsidentia Conciliis, eorumque confirmatione.

§. 388. *Animad*: Praesidentia, quod ad rem attinet praesentem duplex est, scilicet *auctoritativa*, et *honoraria*. Prior est illa qua, qui ea gaudet jus habet proponendi in Concilio quae pertractanda sunt, suffragium decisivum ferendi, determinandi, ac decidendi quae expedire videntur, atque justis pœnis, aliisque juris remediis rebelles, contradictores, atque contumaces compescendi. Posterior est tantum quaedam praeeminentia ratione loci materialis, eminen-

tioris, et dignioris, quae, honorificentiae gratia, insigni alicui personae, veluti Imperatori, aut Regi in Concilio quandoque conceditur. His positis, de praesidentia Conciliis variae sunt

Hæreticorum, et Catholicorum sententiæ.

§. 389. Lutherus, Calvinus, Vigorius, et alii, qui volunt Imperatoris jus esse Generalia Concilia convocandi, volunt etiam Imperatorem debere praesidere Conciliis, et quidem *auctoritative*, et ea confirmare; quod si Imperator nec per se, nec per suum Legatum vellet praesidere, tunc ad Concilium spectare Praesidem constituere. Contra hos stant omnes Theologi Catholici (1).

PROPOSITIO I.

Ad solum Romanum Pontificem spectat sive per se, sive per suos Legatos Conciliis Generalibus præsidere.

§. 390. Prob. Concilium Generale universam repraesentat Ecclesiam; Ergo ille jus habet praesidendi Concilio Generali, qui est caput Ecclesiae, ejus Pastor summus, atque gubernator, quique in universa Ecclesia jurisdictionem habens, super omnes alios Ecclesiasticos Pastores est; Atqui talis est Summus Pontifex, quippe qui est Christi in terris Vicarius, et S. Petri successor (§. 42. et seq.). Ergo etc.

---

(1) *Videant. Auctores ut supra.* Suarez *Tomo 1. Disp. XV. sect. 3.*

PROPOSITIO II.

Solus Pontifex Romanus habet jus Concilium generale confirmandi.

§. 391. Probatur 1. Ille habet jus Concilium generale confirmandi, qui est infallibilis in iis quae fidei, et morum sunt, quique jus habet convocandi Concilium, atque in eo praesidendi: Atqui Romanus Pontifex est infallibilis (§. 58.), et jus habet Concilium Generale convocandi (§. 360.), in eoque praesidendi (§. 390.); Ergo etc. Probatur maj. Confirmare Concilium est actus supremae auctoritatis, qua ultimum judicium infallibile profertur de actis in Concilio, cui nemini licet contradicere; Atqui actus iste nonnisi ab eo solo exerceri potest, qui est supremus Ecclesiae Pastor; in Concilio praesidet auctoritative, et donum habet infallibilitatis in definiendis quae fidei, et morum sunt; Ergo etc.

§. 392. Probatur 2. Praxis est, Conciliorum confirmationem a Summo Pontifice expostulare; uti in eorum Actis videri potest; atqui hoc Patres Concilii non fecissent, nisi jus confirmandi Concilia in Romano Pontifice recognovissent; Ergo etc. (1).

Dices non raro Imperatores in Conciliis praesiderunt; atque Concilia confirmarunt; Ergo etc.

§. 393. R. Praesidentia Imperatorum in Conciliis fuit tantum *honoraria* non *auctoritativa*; quod si visi aliquando fuerint auctoritate aliqua uti, id fuit solum ad coercendos fidei hostes, ne damnum aliquod inferrent, et ut Concilii decisiones plenum sortirentur effectum in foro externo; quare, et ab

---

(1) *Legat.* Antoine *Tomo I. Tract. de fide Sect. IV. Cap. IV. att. 3.* Boyvin *Tomo IV. Disp. III. Quaest. VIII. Prob. 3.*

ipsis quoque Concilium confirmari, Patres petierunt, ut sic nempe jurgia cessarent, et contradictiones; ac ipsimet rebelles, et obstinati compescerentur, et vellent, nollent, obtemperarent statutis; Ad rem egregie Cardinalis Cusanus (1) inquit: *Summus Pontifex confirmat tanquam auctoritatem præbens Concilio, Imperator vero tanquam testis eorum, quæ gesta sunt, et decreta: et tanquam ea approbans, et recipiens, eisque se subjiciens, et quia Regis ad exemplum totus componitur orbis, cæteri omnes Concilio obediunt, nullam vero vocem Synodicam vel decisivam, vel conclusivam habet: ideo cum deprehendimus Imperatores Concilia confirmasse, id factum est, ut manus auxiliares psæberent Ecclesiæ.*

CAPUT III.

De Conciliorum generalium auctoritate.

§. 394. Cum Lutherus, atque Calvinus cernerent, multa ex Dogmatibus, quae propugnabant, jampridem a Conciliis Generalibus fuisse damnata, atque indubitanter iterum a Tridentina Synodo damnarentur, ut effugium aliquod invenirent proprias sententias sustinendi, effutierunt, nullum prorsus Concilium in definiendis, quae ad fidem, et mores spectant fuisse infallibile; nec proinde Divinae auctoritatis. Oppositum sentiunt Catholici.

---

(1) *Lib. III. de Concordant. Catholica Cap. 15.*

PROPOSITIO I.

Concilium generale a Romano Pontifice confirmatum infallibile est in iis quae fidei, et morum sunt.

§. 395. Probatur. In Concilio generali universa concipitur Ecclesia congregata; Atqui Ecclesia in iis quae fidei, et morum sunt definiendis infallibilis est (§. 376. T. I.); Ergo etc. Deinde Concilium est congregatio Procerum Ecclesiae facta a legitimo Superiore ad tractanda fidei negotia (§. 190.); Atqui Christus specialem suam assistentiam Ecclesiae Praelatis promisit, dicens (Matth. Cap. XVIII. v. 8.) *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Cælo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in Cælo* (Ibid. Cap. ult. v. ult.): *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*; Ergo etc. Ulterius Deus dicitur stare in Synagoga Deorum (Psal. 81. v. 1.), nempe in medio Praelatorum Ecclesiae, qui ratione dignitatis, et excellentiae Dii vocantur; item Jesus Christus ait: *Ubi sunt* (Matth. Cap. XVIII.) *duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; Ergo quoties Ecclesiae Praelati in Concilio congregantur, in medio eorum stat Christus, docens eos omnem veritatem. Quare quidquid assistente Domino Patres in Concilio statuunt, est a Spriritu Sancto inspirante; adeoque sicuti Apostoli (Actor. XV.), ita et ipsi dicere possunt, atque dicunt: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis;* Sed qui a Spiritu Sancto reguntur, errare non possunt; Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Pontifex Romanus est supra Concilium generale.

§. 395. Probatur. Nam ut Concilium generale suam habeat firmitatem debet a Romano pontifice convocari (§. 360.). Romanus Pontifex vel per se, vel per suos Legatos debet ei praesidere (§. 390.), ejusque Acta confirmare (§. 391.); Ergo etc. Praeterea Pontifex est totius Ecclesiae caput et fundamentum, ipsi namque dictum est: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (Matth. cap. XVI.); Ecclesia itaque est Summo Pontifici subjecta, et ejus jussa exequi debet, itant tamdiu Ecclesia Christi manet, quamdiu super petram, super quam fundata fuit, nempe super Summum Pontificem, solidatur; Atqui Concilium non est aliud quam Ecclesia collecta; Ergo etc. Deinde Summus Pontifex est omnium fidelium Pastor; sicuti ergo in Concilio non desinunt esse oves quotquot sunt congregati (quippe vocem universalis Pastoris audientes congregati sunt), ita et Pastoris jus non amittit Pontifex; Atqui Pastor est superior gregi; Ergo Romanus Pontifex etc. Ulterius, si Romanus Pontifex non esset supra Generale Concilium, posset Concilium absque Pontifice, et non Pontifex absque Concilio haereses damnare, et quae fidei, et morum sunt definire; Atqui hoc est falsum, et experientiae oppositum (§. 58.); Ergo etc. Tandem si Pontifex non esset Concilio Generali superior, posset Concilium tamquam legitimum, et infallibile ab Ecclesia suscipi, et retineri, licet a vero atque legitimo Pontifice, neque convocatum, neque confirmatum fuerit; Atqui ex testimonio Eugenii IV. (1): *Suscipit Romana Ecclesia omnes alias univer-*

(1) *In Decreto super union. Jacobitarum.*

sales Synodos auctoritate Romani Pontifici legitime congregatas, ac celebratas, et confirmatas; Ergo etc. (1).

Adversariorum objectiones solvuntur.

§. 396. *Objic:* Concilium Generale est hominum congregatio; Sed homines fallere possunt, atqui falli, juxta illud Psalmistae (Psal: 61. v. 10.) *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant*; Ergo Concilium Generale fallibile est.

§. 397. R. dist: maj: Concilium etc:, hominum qui spiritu Dei in judicando aguntur, atque a Spiritu Sancto, qui Spiritus est veritatis illustrantur, ne in judicando errent, conc: maj; secus nego; et dist. min: Sed etc. homines qui sequuntur spiritum suum, et Spiritus Sancti assistentia orbantur, conc:, secus, n. min; Ergo etc., nego consm. Qui Generale Concilium constituunt, utique homines sunt, non Angeli, at homines qui deposito omni partium studio, et Deum solum prae oculis habentes, recte judicant, secundum quod non caro, et sanguis, aut proprius sensus, aut depravatus affectus suggerit, sed prout interior Spiritus Sancti afflatus eos docet omnem veritatem. Quare qui Concilium constituunt, esto non desinant esse homines, mendaces tamen et fallibiles in Concilio non sunt circa decisionem eorum, quae ad fidem moresque spectant; Adeoque Concilium Generale fallibile non est.

§. 398. *Contra.* Atqui homines in Concilio Generali sunt mendaces, et fallibiles; ideoque Concilium Generale est fallibile; Ergo n. r. Prob. subsm. Ut homines in Concilio congregati Spiritus Sancti as-

---

(1) *Object. contra hanc Prop. leg. apud* Bellarminum *Lib. II. de Concil. auctorit. Cap. VI. et seq. et Cap. XIX.* Ivenin. *Tom. I. Dissert IV. pag. 189.* a Breno T. I. lib: I. C. I. 9. 6, p. 50.

sistentia infallibiles evadere, tuto asseri posset; deberet id constare ex aliqua Christi promissione illis facta; Atqui nulla datur promissio hujusmodi; Ergo etc.

§. 399. R. conc: maj:, neg: min: cum consa. Miramur sane adversariorum audaciam, atque effrontem perfidiam. Quid namque voluit Christus ostendere, cum dixit Apostolis (Matt: XVIII.): *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum?* quid cum apud Joannem. (cap: XIV. 26.) subjunxit: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat in aeternum vobiscum Spiritum veritatis, qui docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis.?* Certe his verbis promisit eis suam opem, et omnem spiritus Sancti adsistentiam ne in materia fidei, et morum errarent. Igitur etc.

§. 400. *Contra.* Atqui nulla prorsus divini spiritus assistentia hominibus in Concilio congregatis Jesus Christus promisit; Ergo n. r. Prob: Subsm. Christus Dominus, laudatis in locis, solos Apostolos alloquutus est, non homines in futuris Conciliis congregatos; Ergo etc.

§. 401. R. neg: ans: cum consa. Etsi prima fronte videatur, Christum Dominum ad solos illic presentes suos Apostolos verba facere, omnino tamen tenendum est, eum omnibus aliis Apostolorum successoribus, Episcopis nempe in futuris sæculis ad Ecclesiae regimen positis loqui. Cum namque sic ipse constituisset Ecclesiam, ut non pro solo tempore Apostolorum, sed usque ad saeculorum finem foret duratura, quae Apostolis promittebat, aliis quoque, in eorum loco succedentibus promittebat; quia ut portae Inferi adversus Ecclesiam non praevalerent, non minus adsistentia ipsius Praelatis tempore Apostolorum, et Apostolis ipsis erat necessaria, quam aliis sequuturis temporibus.

§. 402. *Objic*: II. Concilium Generale est cœtus

Pastorum; Sed coetus iste errare potest, immo de facto erravit; Ergo etc: In Veteri Testatamento Pastores dati erant a Deo ut speculatores domus Israel; et tamen omnes errarunt: En quomodo loquitur Isaias (Cap: LVI. v. 10.): *Speculatores ejus caeci omnes, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare videntes vana, dormientes, et amantes somnia.* Ergo coetus Pastorum errare potest; Adeoque etc.

§. 403. R. Omnes Pastores seorsim sumpti possunt errare, conc:, collective, et in nomine Domini in Concilium congregati, nego. Diversissima est ratio Pastorum in Concilio publica auctoritate congregatorum ad ea, quae Dei sunt pertractanda, ac illorum qui per varias Provincias dispersi, quae sua sunt unusquisque curat. Cum ergo laudatus Propheta non de Pastoribus in Concilio congregatis, sed de aliis loquatur, ejus testimonium frustra contra nos adhibetur.

§. 404. *Contra.* Atqui Pastores etiam in Concilio congregati errare possunt, et de facto errarunt; Ergo n. r. Prob: subsm. Collegerunt Pontifices et Pharisaei Concilium, apud Joannem (Cap: XIV. v. 47., et seq:); Sed sententia in hoc Concilio prolata fuit erronea, quia contra Christum; Ergo etc.

§. 405. R. Esto in illo laudato impio Concilio sententia lata fuerit contra Jesum Christum, adhuc tamen dicendum non est, Caipham Pontificem erravisse eam ferendo. Etenim non proprio judicio innixus, sed divina inspiratione illam protulit, ut bene notat Evangelista dicens (ibid: v. 51.): *Hoc autem a semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex Anni illius prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente.* Sed dato etiam quod revera erraverit, quid inde? Est ne comparatio illius Concilii ex odio in Christum congregato, cum Christianorum legitimis Conciliis qui, inspirante Deo, et Iesu Christi amore, et nomine congregantur?

§. 406. *Contra.* Atqui etiam Concilia Generali

in Nova Lege celebrata errare possunt, erraruntque reipsa; Ergo stat argm. Prob.: subsm. S. Augustinus (Lib: II. de Baptismo Cap. III.), ita scribit. « Et ipsa Concilia, quae per singulas Regiones, vel » Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quae fiunt ex Universo Orbe Christiano, sine » ullis ambagibus cedere, ipsaque plenaria saepe » priora posterioribus emendari ». Supponit ergo S. Doctor, ipsa Generalia Concilia posse errare; quippe per posteriora possunt emendari; Adeoque etc.

§. 407. R. dist: ans. Loquitur S. Augustinus de Conciliis illegitimis, conc:, de Conciliis Generalibus legitimis, et approbatis, n. ans; Ergo etc. n. consm. Novum non est, neque Propositioni nostrae contrarium, quod Conciliorum illegitimorum Acta, per subsequentia legitima Concilia Generalia emendentur, atque corrigantur. Exemplum patet ex Concilio Calcedonense, in quo Concilium Ephesinum II. emendatum fuit; At quod Concilium Generale legitimum, rite absolutum, aliqua emendatione circa dogmata fidei, et morum dignus fuerit, nullum certe extat exemplum. Quod si laudato il loco. S. Doctor loqui videatur de emendatione aliquorum Conciliorum Generalium, etiam legitimorum, tamen non loquitur de emendatione fidei, quasi aliquid in illis erratum sit circa ea, quae ad fidem, et mores spectant, sed de emendatione Legum quorundam, quae ad res sive gestas, sive gerendas feruntur. En ejus verba · « Ipsa » plenaria Concilia priora a' posterioribus emendantur, » cum aliquorum experimento aperitur, quod clausum » erat; quod certe ad fidei veritatem referri nequit, » quae non innotescit rerum experimentis; uti patet.

Quaeres. *Quot fuerint Generalia Concilia approbata?*

§. 408. R. Octodecim; 1. nempe *Primum* Nicænum sub Sylvestro Papa, et Constantino Magno Imperatore, anno 325. Niceæ in Bithinia convoca-

tum ; Huic Concilio 318. Episcopi adfuerunt, et hæresis Ariana cum suo Auctore, et sectatoribus damnata fuit; et ut de cætero omnis cavillandi tolleretur occasio, inserta fuit Symbolo vox *consubstantialis*. Statutum fuit ut Pascha in posterum celebraretur toto Terrarum orbe Dominica sequente plenilunium æquinoctii verni. Atque insuper 20. Canones editi sunt pro disciplina Ecclesiastica restauranda, ut ait Theodoretus.

Secundum est primum Constantinopolitanum, quod Pontifice Damaso, et Theodosio seniore Imperatore fuit congregatum, anno 381. Ubi convenerunt Episcopi 150. In eo damnatus fuit Macedonius Episcopus Constantinopolitanus, qui negabat Divinitatem Spiritus Sancti, et Symbolo Nicæno additum fuit: *Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur*. Canones insuper 7. editi fuere ad disciplinam pertinentes.

Tertium est Ephesinum sub Cœlestino I. Pontifice, et Theodosio Juniore, Ephesi anno 431. convocatum; cui adfuerunt 200. Episcopi. In hoc Concilio definitum fuit unam tantum esse (Verbi nempe) in Christo personam; ac propterea Virginem Mariam vere dici, ac esse *Theotocon*. Quare sententia excommunicationis ac depositionis contra Nestorium lata fuit.

Quartum est Chalcedonense anno 451. Imperatore Marciano, et S. Leone Magno Pontifice congregatum. In eo fuerunt 636. Episcopi, et proscriptus fuit Eutyches, qui duas in Christo naturas confundebat; damnatus etiam fuit Dioscorus, eo quod Concilio Generali præsidere fuerit ausus, et post trinam citationem depositus. Latrocinii Ephesini Acta fuerunt reprobata: restituti in suas Sedes Theodoretus Cyrensis, et Ibas Edæssenus postquam dixerunt *Anathema* Nestorio coram universa Synodo, et definitioni Fidei, ac S. Leonis Epistolae subscripserunt. Pro morum reformatione varii Canones statuti fuerunt

Quintum est Constantinopolitanum II. sub Justiniano seniore, et Vigilio Romano Pontifice. Ei adfuerunt 165. Episcopi. Errores Origenis damnati fuerunt; damnatus item Theodorus cum suis scriptis.

Sextum est Tertium Constantinopolitanum anno 681. congregatum, Pontifice Agathone, et Imperatore Constantino Pagonato, cui interfuerunt 289. Episcopi, qui Monothelitas damnantes, definierunt esse in Christo *duas naturales voluntates, et duas naturales operationes, indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse . . . secundum doctrinam SS. Patrum.*

Septimum est Nicænum II. anno 787. convocatum, cui adfuerunt 350. Episcopi, Pontificatum gerente Adriano I., et Imperium tenente Constantino cum sua matre Irene. In eo sancitum est: Sacras Imagines debere retineri, eisque *honorariam adorationem* deberi, non quidem *Latriæ*, sed *Duliæ*; eamque adorationem non terminari ad figuras, sed referri ad earum prototypa. Editi etiam fuerunt 22. Canones pro disciplina Ecclesiastica.

Octavum est Constantinopolitanum IV., et ultimum in Oriente, anno 869. convocatum, imperante Basilio, et Pontificiam Sedem tenente Adriano II. Ei adfuerunt Episcopi 102., qui Photium damnarunt, et S. Ignatium in suam sedem restituerunt.

Nonum est Lateranense I., quod anno 1123. Callistus II., tempore Henrici IV. Imperatoris, Romæ in Basilica Lateranensi indixit. Huic Concilio adfuerunt 300. Episcopi, præter Abbates, et Priores fere 700. Henricus IV. in hoc Concilio dimisit Ecclesiae omnem investituram per annulum et baculum tradendam; ablatas possessiones Ecclesiæ restituit; atque promisit se electiones et consecrationes omnino liberas relicturum; cui vicissim Pontifex Callistus II. concessit; ut se præsentem sisteret electionibus; et ut electis regalia, videlicet, fructuum beneficii percipien-

dorum potestatem daret per sceptri regii contactum. Pertractatum quoque fuit de auxilio præstando Christianis Orientalibus contra Saracenos.

Decimum est Lateranense II. ab Innocentio II. congregatum, anno 1139. tempore Lotharii Imperatoris, cui adfuerunt mille Patres. In eo Acta Petri Leonis, aliorumque Schismaticorum fuerunt rescissa: *Petrus de Bruis*, et *Arnaldus de Brixia* cum eorum hæresibus damnati, atque insuper varii constituti Canones pro pristina Ecclesiastica disciplina restituenda, inter quos ille: *Si quis suadente diabolo.*

Undecimum est Lateranense III., Imperatore Frederico I., et Summo Pontifice Alexandro III., anno 1179. cui adfuerunt 300. Episcopi. In eo, definitum fuit, nullam in posterum Papæ electionem fore Canonicam, nisi duæ partes Cardinalium ad eam conspirent; Ordinationes ab Anti-papis factas irritas esse, et beneficiorum collationes nullius valoris. Damnati fuerunt Hæretici Waldenses, et Albigenses, necnon varii Canones constituti ad usuram maxime, et Simoniam extirpandas.

Duodecimum est Lateranense IV., cui fuerunt 1283. Patres, dictum propterea Lateranense Magnum, anno 1215. ab Innocentio III., Imperante Frederico II. convocatum. In hoc Concilio damnatus fuit Liber Abbatis Joachim adversus Petrum Lombardum; proscripta quoque impia et stulta dogmata *Almarici de Bena*. Statuta est expedito adversus Turcas pro recuperatione Terræ Sanctæ; Atque insuper varii conditi sunt Canones pro morum reformatione, quos inter celebris ille: *Omnes utriusque sexus.*

Decimumtertium est concilium Lugdunense I. anno 1245. Innocentio IV. Pontifice celebratum, cui adfuerunt 140. Episcopi præter plures Cardinales et tres Patriarchas. In eo Pontifex sententiam excommunicationis, et depositionis in Fredericum Imperatorem tulit: renovatum est decretum de expeditione

in Turcas, magnis privilegiis, et immunitatibus Cruciatis concessis; nec non varia decreta facta sunt circa disciplinæ reformationem.

Decimum quartum est Lugdunense II. in quo interfuerunt mille Patres, anno 1270. Gregorio X. Summo Pontifice, Imperatore Germaniæ Rodulpho. Ad hoc Concilium, inter alios viros doctrina, et sanctitate illustres, vocati quoque fuerunt S. Thomas de Aquino, et S. Bonaventura Cardinalis, et Episcopus Albanensis; sed ille in itinere morte præventus, non adfuit. Adfuit vero iste, qui maximo fuit Ecclesiae adjumento; sed circa Concilii exitum et ipse obiit, incredibili Patrum moerore, et maxime Pontificis. In hoc Concilio definitum est, Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere tamquam ab uno, non a duobus principiis; quare additum est Symbolo: *qui a Patre, Filioque procedit.* Damnati sunt, qui contra jus, de novo *regalia* usurpare nitebantur; atque Graecis promissa fuit decima pars bonorum Ecclesiasticorum pro expeditione adversus Turcas.

Decimus quintus est Viennense in Gallia, tempore Henrici VII. Imperatoris, anno 1311. a Clemente V. convocatum. Ei 300. Episcopi adfuerunt atque insuper tres Reges, scilicet Filippus Pulcher Rex Galliae, Eduardus II. Rex Angliae, et Alfonsus II. Rex Aragoniae. Templariorum Ordo fuit omnino extinctus, damnati Fraticelli, Beguardi, et Beguinae; nova expeditio decreta fuit pro recuperatione Terrae Sanctae, ac variae Constitutiones editae pro morum reformatione, quae in jure *Clementinæ* dicuntur.

Decimum sextum, est Florentinum, primum Ferrariae congregatum anno 1438., deinde Florentiam translatum, Summo Pontifice Eugenio IV., et Graecorum Imperatore Joanne Paleologo. In eo fuerunt 141. Episcopi, octo Cardinales, et plures tum Abbates, tum Ordinum Generales, et Doctores; atque

statutum fuit, particulam *Filioque* jure Symbolo additam fuisse: Quod veraciter Corpus Christi conficitur, sive consecratio fiat in pane triticeo azimo, sive in fermentato; Quod animae quae ex hoc mundo discedunt in charitate, sed non sunt omnimode ab omni macula mundae, in Purgatorio detruduntur quoadusque dignae inveniantur quae stare possint coram Agno, ibique suffragiis vivorum adjuvari possint; Quod Romanus Pontifex est verus Christi Vicarius, et Petri successor, habetque proinde primatum in universam Ecclesiam.

Decimum septimum est Lateranense V., Romanis Pontificibus Julio II. et Leone X. Incepit namque anno 1512. sub Julio II., et completum est anno 1517. sub Leone X. In eo Concilio fuerunt 114. Praelati cum pluribus aliis Ordinum Generalibus, et Doctoribus; Atque reprobatum Conciliabulum Pisanum; abrogata fuit Pragmatica sanctio, et pacta inter *Leonem X.* et *Franciscum I.* Galliae Regem concordata, in locum pragmaticae substituta.

Decimum octavum, est Tridentinum a Paulo III. indictum primo *Mantuae*, deinde *Vincentiae*, tandem *Tridenti*, ubi ab anno 1545. usque ad annum 1563. sub tribus Romanis Pontificibus, Paulo III., Julio III., et Pio IV. celebratum fuit, tempore Caroli V., et Ferdinandi I. Huic Concilio adfuerunt sex Cardinales, quatuor Legati, Patriarchae tres, Archiepiscopi tringintaduo, Episcopi ducentiviginti octo, Abbates quinque, Generales Ordinum Ministri septem, Episcoporum Procuratores plurimi. In eo errores Lutheri et Calvini damnati fuerunt, et plurima quae fidem, et mores, necnon Ecclesiasticam disciplinam spectant constituta, ut in eo videre est.

DE RELIQUIS THEOLOGICIS LOCIS.

Quinque alii Theologici Loci examinandi supersunt; nempe SS. Patrum auctoritas; Scholasticorum auctoritas; Philosophorum etc., Rationis naturalis argumenta, et humana Historia (Proleg. §. ult.). Verum de his plura loqui Instituti ratio non patitur. Unde omnes, sequentibus regulis, absolvemus.

§. 409. Regula I. *Unanimis SS Patrrm sententia in Doctrina fidei, et morum, et in divinarum Literarum expositione, quæ ad Dogmata pertinet, infallibile divinæ Revelationis testimonium præbet, ac firmissimum nobis exhibet veritatis argumentum.* Nam Sancti Ecclesiae Patres illi dicuntur, qui temporis antiquitate, orthodoxa eminenti doctrina, morumque sanctitate floruerunt, atque uti tales declarati sunt ab Ecclesia; Ergo etc. Deinde Sancti Patres sunt illi *Doctores*, *quos ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi*, Dominum Jesum dedisse, testatur Paulus ad Ephesios scribens (Ephes. IV. n. 11.); fieri ergo nequit ut eorum unanimis consensus in materia fidei et morum sit fallibilis; alias namque non in aedificationem Ecclesiae, sed in destructionem dati essent; adeoque etc.

§. 410. Regula II. *Concors, atque constans omnium Theologorum Scholasticorum sententia circa aliquod fidei, vel morum dogma, est tantæ auctoritatis, ut ei contradicere, si non est erroneum, saltem errori proximum censeri debet.* Nam Theologi Scholastici nunquam aliquod Dogma uno ore asseruere, *quod vel ex Sacris Literis, vel ex Apostolorum traditione, vel ex Pontificum, aut Conciliorum definitionibus non habeat certam originem* (1); Atqui quod

(1) Melchior *Canus Lib. VIII. de Locis Theolog. c. 4. concl. 8.*

ab illis fontibus certam habet originem est tantae auctoritatis, ut ei contradicere, est saltem errori proximum; Ergo etc.

§. 411. Regula III. *Philosophorum omnium concors, et plena sententia, ubi de Philosophico dogmate agitur, firmum veritatis argumentum Theologo præbet.* Nam fieri nullatenus posse videtur, ut viri sapientes, et veritatis inquisitores, in aliquo dogmate admittendo conveniant, quin verum sit, et tale, quale ab omnibus habeatur. Quare ajebat Augustinus (1): *Philosophi autem qui vocantur, si qua forte vera, et fidei nostræ accomoda dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda.*

§. 412. Regula IV. *Argumentum, quod ex Civilibus Legibus, earumque Latoribus, et Interpretibus depromitur, magnum auctoritatis pondus Theologo exhibet*: Nam *Ipsa jura humana*, ait Augustinus (Tract. VI. in Joan.), *per Imperatores, et Reges sæculi Deus distribuit generi humano.* Siquidem: *per me . . . , legum conditores justa decernunt*, inquit auctor Proverbiorum (Cap. VIII. v. 15.); Adeoque etc.

§. 413. Regula V. *Principia tantum communia rationis naturalis, certum Theologo argumentum præbent.* Nam principia illa certa sunt atque evidentia; adeoque etc.

§. 414. Regula VI. *Omnes probati, ac graves Historici, qui nullo contradicente factum aliquod enarrant, certum argumentum Theologo subminisrant.* Etenim si unanimis historicorum consensus certitudinis argumentum non foret, de omni humana fide, pro-

(1) *Lib. II. de Doctrina Christ. Cap. 40.*

bitate, prudentia, atque virtute actum esset, quod admitti nequit (Deut: XXXII. v. 28.).

TRACTATUS.

De iis quæ homini tam in exitu, quam post exitum de hoc Mundo eventura sunt.

Quoniam, docente Apostolo (Hebraeor. XIII. v. 14.): *Non habemus hic manentem Civitatem, sed futuram inquirimus*, omni studio obnitendum est, ut sobrie, et juste, et pie viventes in hoc saeculo, digni inveniamur, qui accedere possimus *ad Jerusalem cœlestem; et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in Cœlis* (Hebraeor XII. v. 22. 23.). At quonam pacto eveniet, ut tanto bono fruamur aliquando, si pro eo fruendo et peccata odisse oportet, et bona opera perpetrasse? Est ne medium aliquod ita efficax, quo a peccatis praecavemur, et ad bona facienda incitemur? Est utique; Illud nempe a Spiritu Sancto propositum (Ecclesiast. Cap. VII. v. ult.), et commendatum illis verbis: *In omnibus operibus tuis memorare Novissima tua, et in æternum non peccabis.* Quod si res ita se habet, certe opportunum hic erit, peculiarem Tractatum de Novissimis habere; eo vel maxime quod licet in S. Ecclesiae Romanæ sinu nati simus, non pauci sunt, qui ea veluti praejudicatorum, atque superstitiosorum inventum rident, atque despiciunt: *Gens absque consilio, et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent ac novissima providerent* (1) Ad rem itaque.

(1) *Quæ hic desiderantur legi possunt apud* Ivenin *Tomo I. Dissert IV. Quaest. 6. et seq.* Ex Charmes *Tomo I. append. Cap. VI. etc., sed praecipue apud.* Melchiorem Canum *de Locis Theol. Lib. VII.*,

CAPUT I.

De hominis exitu de hoc Mundo, sive de morte.

§. 415. *Def.* 1. *Mors hominis nihil aliud est quam amissio vitæ naturalis per separationem animae a corpore, qua fit ut homo non amplius existat.* Itaque *Anima*, ut bene notat S. Augustinus (Lib: de Spiritu et anima Cap: 43.) » Non aliter quam » Sol lucem diei, vitam tribuit carni cum venerit, » mortem efficit cum recedit ».

§. 416. *Def.* 2. Immortalis ille dicitur, qui vitam quam habet amittere nequit.

§. 417. *Schol*: Quoniam vero duplici ex capite aliquis nequit interire, vel nempe quia ejus naturae est, ut nequeat non vivere, vel quia alterius, nempe Dei beneficio id obtinuit ut semper vivat; hinc duplici sensu quis dici potest immortalis, vel nempe ex suae naturae constitutione, vel beneficio Dei. Duplicem hanc hominis immortalitatem designavit Augustinus, primam per verba illa *non posse mori;* secundum per illa alia *posse non mori* (lib: VI. de Gen: ad litt: circa fin.).

Auctorum placita.

§. 418. Circa hominis mortem duplex adest oppositus error, Baji nempe, et Pelagii. Bajus docuit, hominem a Deo conditum fuisse, conditione naturae immortalem; Pelagius e contra sustinuit, hominem ita mortalem fuisse a Deo conditum, ut sive peccaret, sive non, semper mortem subiisset. Utrumque errorem detestantur Catholici, atque hominem cum S. Augustino (ibid:), mortalem dicunt, *conditione corporis animalis*, immortalem vero *beneficio Conditoris*, adeo ut si non peccasset, potuisset non mori. Et recte quidem, ut ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO I.

Homo mortalis erat conditione naturæ, et si perseverasset in statu innocentiæ, immortalis fuisset beneficio Conditoris.

§. 419. Prob. 1. pars ex Scripturis. In Ecclesiastico legitur (Cap. XVII. v. 1.): *Deus creavit de terra hominem*; Atqui, ex eodem (Ibid. Cap. XLI. v. 13.), *Quae de terra sunt in terram convertentur*; Igitur homo conditione suae naturae mortalis erat.

§. 420. Prob. 2. pars etiam ex Scripturis. In Sapientiae libro habetur (Cap. II. v. 23.). *Deus creavit hominem inexterminabilem*; hoc est immortalem, et qui non esset e vita exterminandus (Tirinus in hunc loc.); Atqui homo talis non erat conditione naturae (§. 419.); ergo et beneficio Conditoris. Deinde Deus minitatur homini mortem si ederet de fructu vetito, dicens (Gen. II. v. 17.): *In quacumque die comederis ex eo morte morieris*; idest mortalis eris (Hieronym. in hunc loc.); Ergo si non peccasset, et in statu innocentiae perseverasset, fuisse immortalis; sed hoc non ex conditione naturae (§. eod.); Ergo etc.

§. 421. Prob. haec eadem 2. pars testimonio D. Augustini, qui sic ait (Lib. de peccat merit Cap. 3.) *Erat Adæ corpus mortale, sed non moriturum: Sicut hoc nostrum potest, ut ita dicam esse ægrotabile, sed non ægrotaturum.* Et alibi (Lib. VI. de Gen: ad lit. circa fin.): *Illud quippe*, ait (nempe Adae corpus), *ante peccatum, et mortale secundum aliam causam dici poterat mori, immortale quippe, quia poterat non mori; Aliud est namque non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis: Quod*

ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ . . . . mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris. Si namque corpus animale, utique mortale; quia et mori poterat, quamvis et immortale ideo, quia et non mori poterat. Ergo etc. Jure itaque meritoque a Pio V:, et Gregorio XIII. damnata fuit hæc Michaelis Baji propositio: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis ejus conditio.*

Argumenta opposita solvuntur.

§. 422. *Objic*: contra 1. p. Hominis mortalitas est separabilitas animae a corpore humano; Atqui talis separabilitas non fuisset in statu innocentiae; Ergo in tali statu homo mortalis non erat conditione naturae Prob: min: In corporibus gloriosis non est hujusmodi separabilitas, quia corpora sunt immortalia; Ergo nec etiam in corporibus innocentibus fuisset; Adeoque etc.

§. 423. R. dist: ans, non fuisset talis separabilitas ab extrinseco, conc:, ab intrinseco, n. antec: et consm. Sicuti in statu innocentiae anima fuisset separabilis a corpore, conditione suae naturae, ita et talis est in statu beatitudinis, quia beatitudo non identificat animam cum corpore, ita ut fiat cum eo una substantia spiritualis, partibus omnino carens, atque hinc immortalis; quod si Beati possunt non mori, neque separabilitati animae a corpore sunt obnoxii, id est in ipsis, non ab intrinseco, sed ab extrinseco, beneficio nempe conditoris, qui non vult amplius concurrere ad separationem animae a corpore, nec debet, ratione suae promissionis justis amicis suis factae (Joan: X. v. 28.). *Vitam æternam do eis.*

§. 424. *Contra.* Atqui licet homini competeret separabilitas Animae a corpore, adhuc ipsi non competeret mortalitas; Ergo n. r. Prob: subsm: Licet

corpori glorioso competeret separabilitas ab anima adhuc ipsi non competit mortalitas; Ergo etc.

§. 425. R. dist: antec: licet etc: ab extrinseco, conc:, ab intrinseco, n. antec:, et consm. Nescio an sit, qui vel unquam somniaverit, Beatos in Cœlo esse ab intrinseco impassibiles, atque immortales Si enim hoc esset, non forent amplius ipsi homines, compositi nempe anima, et corpore, quod est falsum. Sunt tamen incorruptibiles, sunt immortales, sed ab extrinseco, quatenus Deus non concurrit ad separationem animarum ab illorum corporibus; idque propter beatitudinem, quam ipsis concedit, quæque cum morte consistere nequit. Apposite S. Augustinus (Lib: XIII. De Civ: Dei C. XXIII.) « Tunc jam non ter-» renus, sed caelestis homo erit, non quia corpus, » quod de terra factum est, non ipsum erit, sed quia » dono coelesti jam tale erit, ut etiam Coelo inco-» lendo, non amissa natura, sed mutata qualitate » conveniat ». Adeoque si posset concedi, quod Adam, et ejus posteri habuissent beatitudinem externam, nempe justitiam originalem, quæ esset impedimentum mortis, non perirent.

§. 426. *Contra.* Atqui justitia originalis in statu innocentiæ fuisset impedimentum intrinsecum mortis humanæ; et consequenter homo ab intrinseco immortalis; Ergo n. r. Prob: subsm: Iustitia originalis in illo innocentiæ statu fuisset impedimentum omnis imperfectionis; Atqui mors, est maxima humanitatis imperfectio; Ergo justitia originalis fuisset impedimentum mortis intrinsecum; adeoque etc.

§. 427. R. dist: maj: Iustitia originalis etc:, moralis transeat; naturalis, n. maj:, et contradistincta min:, n. consam utramque. Cum justitia originalis sit donum externum homini, qua homo est, ideo non est impedimentum intrinsecum, sed tantum extrinsecum mortalitatis; Cumque donum naturale non sit, sed supernaturale, seu morale, certe pugnat

cum imperfectione morali, bene autem convenit cum imperfectione physica, et naturali. Si ergo mortalitas est imperfectio physica, et naturalis, certe nequit a justitia originali impediri; adeoque etc.

§. 429. *Objic*: contra II. p: Homo in statu innocentiæ corpus habuisset nutribile, atque vegetabile sicuti nos modo habemus; Ergo fuisset aliquando mortuus.

§. 430. R. Ex quo hominis corpus etiam in statu innocentiæ indiguisset cibo, ut substentaretur, et fuerit corpus vegetabile, hoc solum inferri potest, ipsum conditione suæ naturæ fore mortale, quod et nos jam probavimus (§. 419.), non vero quod reapse aliquando mortuum fuerit, cum illius Conditor, virtute sua, et beneficio effecisset, ut nunquam moreretur.

§. 431. *Contra.* Atqui ex quo hominis corpus erat nutribile, atque vegetabile, recte infertur ipsum non solum mortalem fuisse, sed quandoque etiam moriturum; Ergo a capite argm. Prob: subsm. Nutribilitas, et vegetabilitas corporis humani, important partium fluxibilitatem; partium autem fluxibilitas importat earumdem deperditionem; Atqui partium deperditio secum fert debitum exequutivum mortalitatis; Ergo etc:

§. 432. R. deperditio partium, cui non succedit restauratio secum fert debitum exequutivum mortalitas, at non quando partes deperditæ passim restaurantur. Iam vero in homine etiam innocente partium deperditio eveniebat; et ideo conditione suæ naturæ mortalis erat; morti tamen non fuisset obnoxius, quia per esum ligni vitæ partes deperditæ restaurabantur.

§. 433. *Contra.* Atqui allata restauratio partium non evincit, hominem in statu innocentiæ fuisse immortalem; Ergo stat argm. Prob: min: subs: Etiam in statu naturæ lapsæ, per alimenta restaurantur

partes deperditæ, et tamen non per hoc homo est a morte immunis : Ergo etc.

§. 434. R. Ideo in statu naturæ lapsæ non taliter restaurantur partes ut mors possit evitari, quia in tali statu non conceditur cibus hujusmodi restaurativus, qualis in statu innocentiæ, homini concessus fuisset. In statu quippe innocentiæ, Hominis corpus (August: Lib. XIV. de Civ: Dei Cap: XXIII.) « non » immortalitate absoluta, atque indissolubili, sed ligno » vitæ mortis necessitate prohibebatur, atque in ju» ventutis flore detinebatur ». Non ita tamen in præsenti statu naturæ lapsæ. « Eo quippe die, sequitur paulo » post idem S. doctor (quo Adam peccavit), mutata » in deterius, vitiataque natura, atque a ligno vitæ » separatione justissima mortis in eis etiam corporalis » necessitas facta est, cum qua nos necessitate nati » sumus ».

PROPOSITIO II.

Si Adam non peccasset tam ipse, quam ipsius posteri fuissent immortales.

§. 435. Probatur 1. ex Scripturis tum Veteris cum Novi Testamenti. In Libro Sapientiæ (Cap. I. v. 13.) habetur: *Deus mortem non fecit*; et iterum (Cap. II. v. 23.): *Deus creavit hominem inexterminabilem; invidia autem Diaboli mors intravit in orbem*; Ergo ex Veteri Testamento si Adam etc. Deinde Apostolus ad Romanos (Roman. V.) ait : *Per unum hominem peccatum intravit in Mundum, et per peccatum mors*; et ad Corinthios scribens (Corinth. XV.) inquit : *Per hominem mors*; Ergo si Adam etc.

§. 436. Prob. 2. ex Conciliis. Concilum Milevitanum hæc habet (Can. I.): *Quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive pec-*

caret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit. Tridentinum, ut cætera taceamus, Carthaginense nempe, et Arausicanum II., ita statuit (1): *Si quis non confitetur, primum hominem Adam cum mandatum Dei in Paradiso fuisset trangressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram, et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea ille comminatus fuerat Deus . . . . anathema sit*; Ergo etc.

§. 437. Probatur tandem ex SS. Patribus, pro quibus omnibus unus sufficiat Augustinus, qui postquam pluribus in locis ostenderat, mortem hominis pœnam esse peccati Protoparentis, ita (Lib. I. de peccator. merit. Cap. 4.) concludit: *Corpus mortuum est, non propter fragilitatem terrenam, quod de terræ pulvere factum est; sed propter peccatum. Quid amplius quærimus?*

Dices. Si mors esset pœna peccati originalis, BB. Virgo Maria, quæ hodie communiter dicitur, et tenetur absque peccato originali concepta, non debuisset mori; Atqui mortua est; Ergo mors non est etc. Adeoq. etc.

§. 438. R. Sicuti in statu Innocentiæ Corpus Adae mortale erat conditione naturæ (§. 419.), ita corpus BB. Virginis Mariæ innocentis mortale fuit. Conditione proinde corporis animalis mortua est Virgo, non caussa culpae originalis, quae in ea non fuit. At inquies: si Adam non peccasset, non fuisset moriturus; Ergo et Virgo quia non peccavit, non debuisset mori. Utique, respondetur; at id Adae praestabatur beneficio Conditoris (§. 420.), et de ligno

(1). Sess. V. *In dec: de pecc: Orig. Can. 1.*

vitæ, ut ait Augustinus (§. 434.); Conveniens autem non fuit, ut idipsum BB. Virgini concederetur, immo decens fuit ut ipsa moreretur, tum ut conformis esset Filio suo, et Domino nostro, qui licet peccatum non fecerit, nec facere potuerit, ratione tamen assumptae humanitatis, mortem voluit subire; tum ut agnosceretur ipsam veraciter fuisse de humano genere, et de propagine illa, de qua dicit Apostolus (1): *statutum est hominibus semel mori*; tum denique ut ejus meritum augmentaretur, sicuti bonis operibus, ita etiam passionibus, et tribulationibus æquanimiter toleratis. Ex quo itaque BB. Virgo, etsi ab originali culpa perseverata, mortua sit, non recte infertur, mortem originalis culpæ pœnam non esse.

PROPOSITIO III.

Nemo est de posteris Adae, qui a morte sit immunis.

§. 439. Probatur. Nam: *quis est homo*, ait David (Psal 44. v. 49.), *qui vivit, et non videbit mortem? Omnes morimur*, legitur Lib. II. Regum (Cap. XIV. v. 14.), *et quasi aquæ dilabimur in terram;* et Paulus ad Hebraeos (Cap. IX. v. 27.): *Statutum est hominibus semel mori;* Quia, ut scripsit ad Romanos (Cap. V. v. 12.), *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*; Ergo etc.

---

(1) *Vid.* Bern a Busto *in Mariale serm.* 2. *de Concept. Virg.*

Adversariorum objectiones solvuntur.

Objic: Apostolus ad Timotheum scribens ait (Epist. II. Cap. IV. v. 1.): *Testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos, et mortuos*; Ergo in fine Mundi, omnes illi qui vivi reperientur, quin gustent mortem, a Christo Domino judicabuntur; Adeoque falsa propositio.

§. 440. R. dist. ans. Et per vivos intelligit Apostolus justos, et electos, sicuti per mortuos intelligit malos et reprobos, concedo; per vivos intelligit qui mortui non sunt, subd., qui nec mortui fuerunt; nec morientur, nego ans., intelligit eos qui viventes tunc inventi, brevi temporis spatio e vita discessi, iterum resurgent, concedo; Ergo etc., n. consm. Laudata Pauli verba, et alia illis similia, quæ alibi leguntur, sicuti etiam illa Symboli Apostolici: *Venturus est judicare vivos, et mortuos*, secundum datam distinctionem a SS. Ecclesiæ Patribus, Augustino præsertim, atque D. Thoma explicantur. Loquens sane Doctor Angelicus de verbis illis Apostoli in argumento adductis, inquit (1): *Vivos dicit* (Paulus) *illos, qui vivi reperientur in adventu ejus* (scilicet Christi), *qui morientur quidem, sed quia in modico tempore resurgent, dicuntur vivi* I. Thess. 4. Nos qui vivimus: qui residui sumus in adventum Domini non præveniemus eos, qui dormierunt. *Vel vivos dicit bonos, scilicet qui vivunt vita gratiæ, et mortuos malos* 3. Joan. 3. Qui non diligit manet in morte. *Et hos etiam judicat* Act. 10. Ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum, et mortuorum. *Quod autem dicimus*, ait S. Augustinus (2), *in Sym-*

---

(1) *Comment. in Epist. II. ad Timoth. Cap. IV.*
(2) *Lib. de definitionibus Ortholocæ fidei n. 3. Leg. Lib. XX. de Civit. Dei Cap. 20.*

bolo, in adventu Domini vivos ac mortuos judicandos, non solum justos, et peccatores significari, sicui Diodorus putat, sed et vivos, qui in carne inveniendi sunt credimus, qui adhuc morituri creduntur, vel immutandi sunt, ut alii volunt, ut suscitati continuo vel reformati cum ante mortuis judicentur. Nihil ergo ex citatis verbis Apostoli contra expositam thesim.

§. 441. *Contra.* Atqui Apostolus per vivos ibi intelligit qui necdum mortui sunt, nec erunt morituri; Ergo etc. Prob. subsm. Apostolus de finali judicio loquens, nullam temporis moram ponit inter vitam, quam nonnulli tunc habebunt, et raptum ad judicium; ait namque ad Tessalonicenses scribens (I. ad Thessal. Cap. III. v. 16.): *Nos qui vivimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera*; si ergo vivi simul rapiemur, procul dubio mortem non gustabimus; Adeoque etc.

§. 442. R. cum D. Thoma (Comment. in I. Epist. ad Thessal. Cap. II.). *Occasione horum verborum crediderunt aliqui quod futuri in fine nunquam morerentur, ut dicit Hieronymus in Epistola, propter hoc quod dicit.* Deinde nos etc. *Alias enim frustra distingueret viventes a morientibus, sed contra*: I. Corinth. 15. Omnes quidem resurgeremus. *Item* sicut in Adam omnes moriuntur etc. *ut habetur* Rom. V. *Ergo mors ad omnes pertransiit. Dicendum est ergo, quod aliqui inveniuntur vivi in tempore illo quo Christus veniet ad judicium, sed in illo momento temporis morientur, et statim resurgent. Et ideo propter modicam interpellationem reputantur viventes.* Propterea etc.

§. 443. *Contra.* Atqui per viventes laudato in loco non morituros intelligit Apostolus; Ergo a capite argum. Eodem sensu loquutus est Apostolus, dicens, viventes rapturos fore ad judicium: quo dicitur in Apocalypsi, Antichristum, ejusque praecursorem

mittendos fore in Infernum; Atqui dicitur in Apocalypsi (Cap. XIX. v. 20.), quod: *Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure*; ergo pariter illi vivi, quin moriantur, rapientur obviam Christo in aera; adeoque etc.

§. 444. R. Falso hic supponitur, Antichristum non esse moriturum, cum dicat Paulus ad Tessalonicenses (II. Cap. IV. v. 8.), quod eum *Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*, idest mandato suo ut explicat S. Thomas (Comment. in II. Epist. ad Thess. Cap. 2.), per Michaelem Archangelum. Quod ergo dicitur: *vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis*, non est intelligendum, ajunt Expositores Sacri, quin moriantur (1), sed quod tanta erit celeritas et promptitudo in esequutione damnationis eorum; tam inopinato, et repente a statu vitae, et existentiae, ad statum mortis, et detrusionis in Infernum transibunt, ut videantur non obiisse, sed viventes in Infernum descendisse; Adeoq. etc.

§. 445. *Objic*: II. Propheta David (Psal: 54. v. 16.) impiis imprecatur, ut *descendant in infernum viventes*; Supponit ergo, non omnes homines esse debere morti obnoxios; Adeoque etc.

§. 446. R. laudatis verbis Propheta David non imprecatur impiis, ut viventes, simul cum anima et corpore, et quin gustent mortem in Infernum descendant, sed ut morte tam subitanea, et repentina, aggrediantur, ut subito deficientes, quasi vivos in infernum descendisse videantur: Genuina namque ejus verba haec sunt: *Veniat mors super eos, et descendant in infernum viventes*. Si ergo David imprecatur ut veniat mors super eos, profecto eos morti obnoxios supponit; quod vero addit: *descendant in In-*

(1) *Vid.* S. Bonaventura *in hunc locum*, S. Bernardinus Senensis, Gagnaejus, Estius etc.

fernum viventes, mortem subitaneam eis imprecatur.

§. 447. *Contra.* Atqui David imprecatur impiis, ut descendant in infernum viventes, et quin anima eorum per mortem a corpore separetur; Ergo n. r. Prob: subsm. Propheta David idem supplicium imprecatur impiis, quod impii Core, Dathan, et Abiron habuerunt; Atqui isti *descenderunt de facto vivi in Infernum, operti humo, et perierunt de medio multitudinis;* Ergo etc.

§. 448. R. Tantum abest ut laudato testimonio infirmetur thesis nostra, quin potius ex ipso comprobari mirifice potest. Quod ut clare pateat, observandum est attente in dato supplicio, quod narrat Scriptura; nempe quod terra sub pedibus eorum aperta fuit, in cujus apertura, ipsi cum omnibus tabernaculis, et substantiis ceciderunt; statim vero ac prolapsi fuerunt, iterum terra clausa fuit, atque remansit ut prius. Hoc posito, en clara, et genuina facti expositio. Core Dathan, et Abiron, nihil penitus cogitabant de supplicio, quod a vindice Dei dextera in suorum scelerum pœnam, ipsis impendebat; Repente magno hiatu aperta fuit terra, in cujus concavo, primo ipsi ut erant viventes descenderunt; Sed postquam terra clausa fuit, oppressi, et suffocati mortem gustarunt in inferno, seu subterraneo illo loco, et animæ solæ ipsorum in infernum damnatorum descenderunt. Gustarunt ergo mortem laudati Core, Datham, et Abiron.

§. 449. *Contra.* Atqui esto impii omnes morti subjiciantur, adhuc tamen verum non est, omnes prorsus esse morti obnoxios: Ergo a cap. argm. Prob: subsm. Apostolus ad Hebræos scribens (Cap. XI. v. v.) ait; quod *Enoch translatus est ne videret mortem;* quod item asseritur de Elia (IV. Reg: II. v. 8.); Ergo etc.

§. 450. R. Enoch, sicuti etiam Elias, esto translati sint, et usque adhuc mortui non sint, scimus

tamen, illos in fine Mundi ab Antichristo fore occidendos; legitur namque in Apocalypsi (Cap: XI. v. 7.) de illis: *Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso faciet adversum eos bellum, et vincet illos, et occidet eos, et corpora eorum* jacebunt *in plateis Civitatis magnæ*. Nihil ergo ex allato testimonio evincitur adversum nostram thesim; Adeoque tec.

CAPUT II.

De statu Animæ post mortem corporis.

§. 451. *Def.* 1. *Anima humana est substantia illa, qua homo vivit, intelligit, raciocinatur, vult, atque sui, suarumque intellectionum, volitionum etc. est conscius.*

§. 452. *Schol.* Hanc substantiam existere, atque spiritualem esse, omnis nempe corporeæ, et materialis compositionis expertem, si quosdam excipias tum veteres, tum recentes Epicuri de schola Materialistas, sibimetipsis injurios, Eruditi omnes, et bene morati Sapientes non solum (1); sed et Sacræ paginae pluribus in locis manifestissime ostendunt. Et sane (ut hic tantum quæ Theologi sunt persequamur), quid indicant verba illa Moysis dum loquitur de creatione animae a Deo facta, postquam Adae corpus jam perfecerat: *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* (Genes II. v. 7.), *et factus est homo in animam viventem?* Quid illa alia (Eccles. Cap. XII. v. 7.): *Revertatur pulvis in terram suam, unde*

(1) *Inter Recensiores legant.* Genuensis *Elem: Metaph. p. II. Cap. I. de Natura Mentis humanae et seq.* Fortunatus a Brixia *Metap. par. II.* P. Odoardus del Giudice *in Psychologia.* De Martiis *Metaph. p. II. Cap.* 1.

erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum? Quid tandem, ut alia sileam, illa Christi Domini apud S. Matthæum (Cap. X. v. 28.): *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere?* Hoc procul dubio; animam nempe hominis diversam esse a corpore, nobilioris naturae, atque spiritualem. Nam si modo longe diverso ac corpus creata fuit; si pereunte corpore non perit, sed ad Deum revertitur; si nequit, quemadmodum corpus occidi, certe spiritus est, et omnis corporeae, et materialis compositionis expers.

§. 453. Quoniam ergo Anima in homine existit atque est spiritualis naturae (§. 452.); cumque certum sit, omnem hominem morti esse obnoxium (§. 439.), merito hic quæritur, quid de ea erit post corporis separationem? circa quod

Variæ sunt Auctorum sententiæ.

§. 454. Ex Veteribus præter Arabicos, et Sadducaeos, permulti ex Philosophis, animam immortalem esse inficiati sunt. Adveniente autem vera Evangelica luce, qua vetus error abiit, homo vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis, et omnes homines in admirabile Jesu Christi lumen vocati, in lumine isto, lumen sanae doctrinæ, et infallibilis veritatis viderunt, doctrinam de Animae immortalitate, atque de altera vita didicerunt, et tenuerunt; quare ut filii lucis ambulantes in omni justitia, et bonitate, ad contemplandam simul, et perfruendam lucem illam inaccessibilem, quam habitat Deus in Cœlis translati sunt. Verumtamen (quis porro credidisset aliquando futurum?) in meridiana luce caecutientes ipsi filii lucis non pauci, quae de altera vita revelata sunt, rident, atque aspernantur. Heu! personare iterum audiuntur, non sine scandalo, antiquorum impiorum voces, de quibus

scribit Auctor Libri Sapientiae (Cap. II.): *Non est refrigerium in fine hominis: et non est qui agnitus sit reversus ab inferis: ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tamquam non fuerimus . . . cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tamquam, mollis aer etc.* At quam immerito, ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO. I.

Anima humana post mortem corporis vivit, nec naturaliter interire potest.

§. 455. Probatur 1. pars. Nam in Ecclesiaste (Cap. XII. v. 7.) habetur: *Revertatur pulvis in terram suam, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* 2. Psalmista ait (Psal. 13. v. 9.): *Placebo Domino in regione vivorum*; et alibi (Psal III. v. 8.): *Educ de costodia animam meam ad confitendum nomini tuo; me expectant justi donec retribuas mihi.* 3. In Libro Sapientiæ (Cap. III. v. 1.) legitur: *Justorum animæ in Manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis:* 4. apud Joannem ait Christus (Cap. XII. v. 25.): *Qui odit animam suam in hoc Mundo in vitam æternam custodit eam.* Quibus positis, tale liceat efformare argumentum: Anima pereunte corpore vivit, si redit ad Deum; si Deo placet in altera vita, ibique nomini ejus confitetur; si est in manu Dei, et in vitam æternam custoditur; Atqui ex allatis testimoniis, res ita se habet; Ergo etc.

§. 456. Prob. 2. pars. auctoritate, et rationibus S. Gregorii Neocæsariensis (1). « Cum anima, *ait*

---

(1) *Lib de anima apud* Card. Gotti *Comm. de Haeres. Parte II. in Haeresim VIII.*

» *ille*, corpore careat, simplex est: Siquidem nec » est composita, nec plurium partium. Consequens » vero mihi videtur, ut quod est simplex, sit im» mortale. Quomodo autem id efficiam, accipe. Ni» hil seipsum corrumpit: alioquin enim ne initio » quidem constitisset: sed quæ corrumpuntur, ex con» trariis corrumpuntur. Quidquid enim corrumpitur, » dissolvitur; quod dissolvitur, compositum est. Com» positum multarum est partium: quod ex his ni» mirum constat differentibus: quod autem diffe» rens est, idem non est. Proinde cum anima sit » simplex, neque ex pluribus constet partibus: quia » nec composita est, nec dissolvi potest, sequitur » ut corrumpi nequeat, et sit immortalis «.

§. 457. Probatur tandem ex Concilio Lateranensi, et ex Auctore Apostolicarum Constitutionum. Lateranense quippe his verbis se expedit: *Damnamus, et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse.* Auctor vero Apostolicarum Constitutionum (Lib. VI. Cap. XI) inquit: *Animam nostram incorpoream, et immortalem confitemur, non autem interitui obnoxiam ut corpora, imo mortis expertem, utpote rationalem, ac liberae potestatis.*

PROPOSITIO II.

Anima post corporis mortem praemii, atque supplicii est capax.

§. 458. Probatur 1. ex Scripturis Ac 1. quidem ait Psalmista (Psal. 125. v. 15.): *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus* (Psal 33. v. 22.): *mors peccatorum pessima*; Ergo anima est capax præmii, vel supplicii, alias quomodo pretiosa mors Sanctorum, pessima mors peccatorum? æqualis foret mors omnium, quia quoad mortem naturalem om-

nes æque moriuntur sive justi, sive peccatores (§. 439.): 2. Christus Dominus pluribus in locis hanc docet veritatem. Loquens namque de prædestinatis ait (Joan. X. v. 28.): *Oves meæ vocem meam audiunt . . . . et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum.* Deinde de Divite et Paupere disserens, illius pœnam, et damnationem, hujus felicitatem, et gloriam describit, parabolam concludens verbis Abrahæ dicentis Epuloni (Lucæ XXI. v. 25.): *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur; tu vero cruciaris.* Tandem hanc eamdem veritatem confirmavit cum dixit Discipulis (Lucæ X. v. 20.): *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in Cælis;* et cum asseruit, quod completo finali judicio (Lucæ XXV. v. 46.): *Ibunt hi* (scilicet peccatores) *in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam;* Ergo etc.

§. 459. Prob. 2. Hac ratione S. Bonaventurae (Lib. II. Sent. Dist. 19. art. 1. q. 1.). » Nullum » bonum est irremuneratum, et nullum malum im» punitum est apud eum, qui juste judicat, sed multa » bona remanent irremunerata; et multa mala im» punita secundum præsentem vitam: ergo est ponere » aliam vitam, quam hanc: sed hæc non esset, nisi » anima remaneret post corpus: Ergo etc.

Adversariorum objecta solvuntur.

§. 460. Objic. In Ecclesiaste (Cap. III. 2. 19.) ita legitur: *Unus est interitus hominum, et jumentorum, et æqua est utriusque conditio.* Atqui jumenta quoad corpus et animam intereunt; Ergo ita etiam homines, adeoque falsa propositio.

§. 461. R. dist. maj. Unus est etc., si loquitur de morte hominis naturali, qua nempe homo desinit vivere, conc. maj.; si loquitur de morte animae,

n. maj., et concessa min., nego utramque consm. Ecclesiastes laudato in capite optime statuerat animæ immortalitatem, cum dixerat (Ibid. v. 17.): *Justum et impium judicabit Deus*; Et sane ad quid hoc Dei judicium si anima superstes corpori non foret, et præmii, suppliciique capax? Cum ergo hominem in morte jumento æqualem fecit, ibi loquitur tantum de morte naturali hominis, et quoad corpus, non vero de animae morte, quæ mori nequit (§. 455. et seq.) Et recte quidem. Nam experientia teste, quod attinet ad corpus, tam homines quam jumenta æqualis sunt conditionis, pari modo dolent, ægrotant, spirant, vivunt, moriuntur etc.

§. 462. Contra. Atqui non solum quoad mortem corporis, sed etiam quoad mortem animae ait Ecclesiastes, aequalem esse interitum hominum, et jumentorum; Ergo n. r. Prob. subsm. Post laudata verba, sequitur Ecclesiastes: *Et nihil habet homo jumento amplius*. Si ergo quoad mortem corporis tantum, et non etiam animae loqnutus fuisset Ecclesiastes, cum homo non totus moriatur sicut jumentum, quia in eo moritur tantummodo corpus, profecto homo aliquid in morte haberet jumento amplius; Atqui asserit Ecclesiastes, quod homo nihil habet jumento amplius; Ergo etc.

§. 463 R. Laudata verba non alio sensu ab Ecclesiaste prolata intelligenda sunt, ac alia antecedentia; nempe quoad ea quae oculis patent circa mortem temporalem; aequaliter observantur tam in hominibus, quam in belluis, atque jumentis. Revera corpus hominis similis est corpori bestiarum, sicut in ortu, et progressu, sic in interitu ac morte. Nam oritur et nascitur de terra, progreditur sive continuat vitam spirando puta, per respirationem. Occidit, et moritur, dum in terram, ex qua ortum est, redit. Adeoque quoad hoc nihil habet homo jumento amplius.

§. 464. *Contra.* Atqui Ecclesiastes ibi de simili interitu tum animae, cum corporis, sive hominum, sive jumentorum loquitur; Ergo n. r. Prob: subsm. Ecclesiastes laudato loco, loquens de animabus tam hominum, qnam jumentorum, aperte fatetur se nescire de illis, quid erit post corporis mortem: *quis enim novit*, sunt ejus verba, *si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus jumentorum descendat deorsum*? Ergo etc.

§. 465. R. Non pauci Ecclesiae Patres, atque Theologi, inter quos S. Gregorius (Lib: IV. dial: Cap: 4.) Olympiodorus, Lyranus, S. Bonaventura, et Cajetanus, volunt Ecclesiasten ibi loquutum fuisse in sententia impiorum. Revera quoad se jam se explicat (Cap: XII. v. 7.), dicens: *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Sed dato quod ex se loquatur, quid inde? » Haec dixit, ait S. Hieronymus » (apud a Lapid: in hunc loc:), non quod ani» mam putet, Ecclesiastes, perire cum corpore, vel » unum bestiis, et hominibus praeparari locum, » sed quod ante adventum Christi omnia ad infe» ros ducerentur. Unde et Jacob pariter ad inferos » descensurum se dicit. Et Job, pios et impios in » inferno queritur retentari. Et Evangelium, Chaos » magnum interpositum apud inferos et Abraham » cum Lazaro, et divite in suppliciis esse testa» tur. Et revera antequam flammeam illam rotam, » et igneam romphaeam ad Paradisi fores Chri» stus cum Latrone reseraret, clausa erant Coe» lestia, et spiritus pecoris hominisque aequalis uti» litas coarctabat. Et licet aliud videretur dissolvi, » aliud reservari, tamen non multum intererat pe» rire cum corpore, vel in inferni tenebris detineri. Nihil ergo ex adducto testimonio contra nostram thesim eruitur.

§. 467. *Objic.* II. Apostolus ad Timotheum scri-

bens (I. ad Timoth. Cap VI. v. 16.) ait: *Solus* (Deus) *habet immortalitatem*; Ergo anima etc.

§. 468. R. dist. sensum auct. Solus Deus habet immortalitatem absolutam, perfectissimam, atque independentem, conc.; Nulla alia substantia habet immortalitatem relativam atque contingentem, n. ans., et consm. Duplex immortalitas, quod attinet ad rem praesentem, distinguenda est, una nempe *absoluta*, *essentialis*, atque *perfectissima*, et haec est solius Dei; Deus namque nedum ex intrinseca sua natura immortalis est, sed praeterea nullam habet externam potentiam, a qua vita privari possit; essentialiter est ergo immortalis; alia est *relativa*, et *contingens*, et hanc animae rationali tribuimus: Haec namque, licet ex intrinseca constitutione suae naturae sit incorruptibilis, adeoque immortalis (§. 455.), posset tamen a Deo annihilari; unde si non annihilatur, id est ex voluntate Dei creatoris. Cum ergo priorem immortalitatem nulla creatura habeat, et habere possit, merito dicit Apostolus solum Deum esse immortalem (1).

§. 469. *Contra*. Atqui nullo modo anima est immortalis; Ergo a cap: argm. Prob: subsm: Anima humana est forma corporis; eique a Deo copulatur ad constituendum cum eo unum compositum, nempe hominem; Ergo a corpore separata, non amplius vivit; adeoque.

§. 470. R. dist: ans: Anima etc:, sed forma substantialis, atque spiritualis naturæ conc:, secus n. ans.; Ergo etc:, n. consm. Anima humana est quidem forma corporis, at non sicut cæterae formæ, quae pereuntibus subjectis et ipsae perunt; sed forma sub-

(1) *Vid.* S. **Bonaventura** *lib. II. Sent. Dist. 19. art. 1. q. 1.* Boucat. *Tomo II. pag. 214. et seq.* Berti *Tomo III. pag. 25.*

stantialis, et spiritualis, quæ corpus vivificat, et sine ipsa homo existere nequit; ipsa autem cum sit a substantiis corporeis toto Cœlo diversa; moriente corpore cui copulatur, non exigit et ipsa perire, quia partes non habet, in quas resolvi possit; sed remanet immortalis.

§. 471. *Contra*. Atqui nec etiam, quia spiritualis est anima, dici potest ab intrinseco immortalis; Ergo redit argm. Prob· subsm. Angeli sunt substantiae spirituales, et tamen multorum Patrum, atque Doctorum sententia est, ipsos immortales esse gratia Dei; Ergo a pari, licet Animæ sint substantiae spirituales, tamen solum per gratiam dici possunt immortales, adeoque vere immortales non sunt.

§. 472. R. Esto Angeli utpote substantiæ spirituales, atque corruptionis incapaces, naturaliter interitui non sint subjecti, quia tamen esse a se non habent, sed a Deo, et a Deo ipsorum conservatio in statu vitæ dependet; ideo non sine caussa dicunt Theologi, et Patres nonnulli, illos esse per Dei gratiam, hoc est ab extrinseco immortales. Quod ipsum et nos fatemur de anima. Per se, et ratione suæ spiritualis naturæ est anima immortalis, sed quia pendet a Deo, qui sua potentia, posset, si vellet, eam annihilare, ideo, quia Deus illam non annihilat, sed in statu existentiæ conservat, dicitur quoque ab extrinseco immortalis; quod sufficit nobis in præsenti materia (1).

---

(1) Consulantur, quae a nobis de immortalitate animae in Psychol. cap: II. scripta sunt; et si placet legantur alii auctores, qui fuse de hac materia pertractant ibid. §. 92. (1)

CAPUT III.

De Judicio particulari.

§. 473. Quoniam anima humana post mortem corporis vivit, atque præmii vel supplicii est capax (§. 458.); cumque præmium, vel supplicium, nonnisi a Domino Jesu Christo, qui judex constitutus est vivorum, et mortuorum (Actor. X. v. 42.), quique propterea justum et impium judicabit (Ecclesiast. Cap. III. v. 17.), et reddet unicuique secundum opera, decerni possit, ac debeat, omnino propterea consequens est, ut quælibet anima, ante Domini tribunal se sistat, judicium subitura.

§. 474. *Def. Judicium*, quod ad rem attinet, *est actus, quo justus remunerator Dominus, aut piis pro bene gestis præmia, aut impiis pro sceleribus supplicia decernit, et confert.*

§. 475. *Schol:* Porro qui ex hac vita discedunt in triplici statu considerari possunt. Alii namque ita justi, et perfecti sunt, ut nihil eis superet luendum ut digni habeantur æterna beatitudine frui, et ante conspectum Dei stare in Cœlesti gloria; alii e contra, lethali culpa, vel peccato originali maculati, digni sunt qui procul a Dei, et Sanctorum societate abjiciantur, et in Infernum deducantur; alii tandem vel quia pro peccatis lethalibus commissis et rite confessis haud plane satisfecerunt in vita, vel quia habent venalia quæ solvere debent, nec Paradiso, neque Inferno digni sunt, sed purgari indigent aliquo in loco ad id destinato. At quando justis praemium, impiis supplicium a Domino retribuetur, statim a corporis morte, an peracto finali Judicio

Dissidium est inter Auctores.

§. 476. Justis præmia, impiis supplicia ad finem extremi Judicii reservari, Haeretici plures tum veteres, tum recentes commenti sunt. Primus qui in hunc errorem impegit fuit Novatianus, postea Vigilantius, et cum eis Armaeni, atque Graeci. Ex recensioribus eumdem errorem amplexati sunt Lutherus, Agrippa, et Calvinus, necnon Burnetus, aliique (1). Contra hos stant Catholici omnes.

PROPOSITIO I.

Justi, quibus nihil superest luendum, statim a morte cœlesti beatitudine fruuntur; Impii e contra in Infernum damnati descendunt.

§. 477. Probatur 1. pars ex Scripturis. Christus moriens, Latroni mox etiam morituro dixit (Lucae XXIII. v. 43.): *Hodie mecum eris in Paradiso*; Atqui nomine Paradisi hic nonnisi visio beatifica intelligitur; Ergo justi etc. Deinde Jacobus Apostolus (Cap. I. v. 12.) ait: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ*; Atqui status præsentis vitae est status tentationis, et probationis; Ergo elapso hoc statu, illico accipitur corona vitae; adeoque etc. Ulterius; *Dum sumus in corpore*, ait Paulus (II. Corinth. Cap. V. v. 6. et seq.), *peregrinamur a Domino . . . . audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum*; Sed peregrinari a corpore est mori, ergo statim a morte praesentes sumus ad Dominum; etc. Tan-

(1) *Vid.* Gener *Theol. dogmat. Schol. Tomo IV. P. II. Tract. III. Lib. Cap. 3. §. 4.*

dem idem (Ibid. v. 1.): sic ait: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, sed æternam in Cœlis*: » Ergo, » manifeste dat intelligere Apostolus, *ait D. Thomas* » (IV: contra Gent. Cap. 91.), quod dissoluto cor- » pore, anima ad aeternam, et cœlestem mansionem » perducitur, quae nihil aliud est quam fruitio di- » vinitatis, sicut Angeli fruuntur in Cœlis . . . . » Hoc autem idem ostendunt et verba ejusdem Apo- » stoli Philipp. dicentis, *desiderium habens dissolvi » et cum Christo esse*:

§. 478. Probatur 2. eadem pars. ex Concilio Florentino, ubi (Tomo III. Concil. pag. 1167.) dicitur: *Definimus, illorum animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam, vel in suis corporibus, vel iisdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum sicuti est in se, pro meritorum tamen diversitate alius alio perfectius.*

§. 479. Probatur 2. pars. Ex Scripturis. In Libro Numeri (Cap. XVI. v. 33.) describitur repentina pernicies Core, Dathan, et Abiron, atque dicitur: *Descenderuntque vivi in infernum operti humo et perierunt de medio multitudinis*. Job quoque de impiis loquens ait (Cap. XXI. v. 13.): *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt* et Salvator apud S. Lucam ait (Cap. XVI. v. 22.) *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno*. Si ergo impii post mortem descendunt in infernum; ibique sepeliuntur; ibique cruciantur in flamma ignis, ut testatur Epulo dives in inferno sepultus: *crucior in hac flamma*, procul dubio non punientur post extremum Judicium; adeoque etc.

§. 480. Probatur 2. eadem pars. ex Concilio Florentino (Coll. 12.), in quo definitum legitur: *Illorum animas, qui in mortali actuali peccato, vel*

solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas : Ergo etc. (1).

Objectiones adversariorum solvuntur.

§. 481. *Objic.* 1. S. Jonnes in Apocalypsi testatur. (Cap. VI. v. 9.) se vidisse subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, quae voce magna clamabant : *vindica sanguinem nostrum* . . . . Quibus dictum est ut requiscerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi. Atqui hujusmodi animae sunt animae Martyrum; Ergo si expectare debent ut impleatur numerus fratrum et simul glorificentur, cum iste numerus nonnisi in die Judicii impleatur, profecto tunc aeterna felicitate potientur; adeoque etc.

§. 482. R. dist. maj. Et laudato testimonio innuitur solum, completam beatitudinem, animae scilicet, et corporis expectandam esse in finali Judicio, conc. maj.; beatitudinem etiam solius animae, nego maj., conc. min., et n. consm. Nequaquam laudato in loco loqui potest S. Joannes de animae felicitate usque ad Judicii finalis exequutionem suspensa, alias sibi ipsi contradiceret. Pluribus namque in locis ejusdem Libri satis aperte dicit, animas separatas a corpore, jam aeterna beatitudine frui, quas signat per innumeram turbam, quam vidit ex Gentibus, stantem ante Thronum Dei cum stolis albis, et palmis, et gratias agentem, et laudantem Deum (Cap. VII.

---

(1) *SS. Patrum auct. legi possunt penes* Manstrium *Disp. XXIV. de Purgat. Lib. IV. art. 1.* Tournely *Tomo I. pag. 262.* Franciscum a Breno *Tomo 1., pag. 138.*

v. 9.). Loquitur proinde de completa beatitudine, quam animae exoptant, fruenda simul cum corpore, completo finali Judicio. Audiatur S. Bernardus qui de illis animabus loquens, sic ait (Serm. III. in Festo omnium Sanctor. n. 1.): *Acceperunt jam singulas stolas: sed non vestiuntur duplicibus, donec vestiamur et nos ...... : stola enim prima ipsa est quam diximus, fœlicitas, et requies animarum: secunda vero, immortalitas, et gloria corporum. Unde et dicunt: Vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est; non tamquam vindictæ cupidi, ... sed desiderio resurrectionis, et glorificationis corporum suorum, quam nimirum usque in diem judicii differendam esse non dubitant.*

§. 483. *Objic.* 2. Tunc animæ justorum æterna beatitudine fruentur, cum illa dabitur ipsis possidenda; Atqui in Judicio finali Electis dicet Christus Judex (Matth. XXV. v. 24.): *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi;* Frgo etc.

§. 484. R. quoniam in consummatione sæculi universale Judicium fiet, procul dubio sententia ferenda est, propterea justos vocari ad Regni parati et promissi possessionem, impios vero ad inferos mitti, necesse est; hoc autem nihil vetat quin antea justi fuerint in Cœlo beati, et impii in inferno detrusi. Nam ante Judicium universale anima sola gaudet cum Christo in Cœlo, vel cruciatur cum Doemonibus in inferno. Quia vero in universali Judicio totus homo, ut constans nempe anima et corpore, ad æterni Regni possessionem vocatur, merito dicitur justos tunc ad æternam beatitudinem possidendam vocari, licet antea quoque beati fuerint.

§. 485. *Oljic.* 3. Multi Patres, inter quos Justinus, Irenaeus, Nepos Ægyptius, Lactantius, Severus Sulpitius, et aliquando Augustinus ipse; imo

quod mirum est, Summus Pontifex Joannes XXII. docuerunt, animas justorum non potiri beatitudine ante diem Judicii; ergo etc.

§. 486. R. Mirari non debemus, si aliqui ex Ecclesiæ Patribus, et viri doctissimi in hanc abjerint sententiam, ut nempe putarent, animas post mortem, non statim vel æterna beatitudine donari, vel poena affici, sed id in die Judicii reservari. Cum namque tunc temporis hæc nostra Catholica veritas non esset satis discussa, et definita, licebat de ea disputare. Quare laudati Doctores nec fuerunt hæretici, nec pro haereticis haberi possunt. Quod vero attinet ad Pontificem Joannem XXII., esto multi eum ab errore excusare conentur (Frassen T. I. Disp. III. Art. 7.), patet nihilominus ipsum favisse quidem errori, at nunqnam aliquid determinasse ut Pontifex, et Petri successor; Quod si ut Doctor privatus aliquid dixit, prædicavit aut scripsit, quod errori favere videbatur, sollemniter postea retractavit, et suam mentem aperuit dicens (Apud Raynal. ad an. 1336. 37.): *Illa diximus prædicavimus seu scripsimus recitando, et conferendo, et non determinando, nec etiam tenendo . . . insuper . . . illa habemus et haberi volumus pro non dictis, praedicatis, et scriptis, et ea revocamus expresse.*

§. 487. *Objic.* 3. Eadem est putanda sors damnatorum ac Dœmonum; atqui Dœmones non cruciabuntur nisi post finale judicium; Ergo et damnati; adeoque etc. Probatur min. Apud Matthæum (Cap. VIII. v. 29.), Doemones ajunt Christo: *Quid . . . venisti ante tempus torquere nos?* Et apud Lucam (Cap. VIII. v. 31.): *rogabant illum, ne imperaret illis ut in abyssum irent.* Unde Doemones dicuntur Rectores Mundi (Ephes. II. v. 2. et Cap. VI. v. 12.) et Principes tenebrarum harum; insuper Spiritualia nequitiae in Coelestibus, et potestates aereae.; Ergo etc.

§. 488. R. Cum S. Petrus apertissime dicat (Epist.

II. Cap. 12. v. 4.): *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, summa stultitia est asserere, eos reservari post Judicium universale puniendos. Quod si dicuntur per aera volitare, Rectores esse Mundi etc., id non ita accipiendum est, quasi nihil adhuc complete, quemadmodum post finale Judicium, torquentur; cum nempe in inferno detrusi nequibunt amplius inde exire, et hac illac vagari. Caeterum modo etiam: *ubicumque Dæmones volitant* (verba sunt Bedae Comment. in c. III. Epist. S. Jacobi), *vel in terris aut, sub terris vagantur, sive detinentur, suarum secum ferunt semper tormenta flammarum.*

PROPOSITIO II.

Anima quælibet cum a corpore separatur, particulare subit Judicium, quo ei poena, vel præmium decernitur.

§. 489. Probatur. Nam Apostolus ad Hebraeos scribens, ait (Cap. IX. v. 27.): *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem Judicium*; quod autem hoc Judicium in actu separationis animae a corpore fiat, patet ex eo quod cupiebat dissolvi, et esse cum Christo (§. 478.). Deinde Jacobus Apostolus admonens fideles ut recte agerent, ait (Cap. V. v. 9.): *Ecce Judex ante januam assistit*: certe hic non loquitur de Judice venturo in fine Mundi; etenim non dixisset: *ante januam*, nempe in exitu animae a corpore; mors quippe est janua alterius vitae; neque dixisset: *ecce assistit*, sed in fine saeculorum venturum; loquitur ergo de Judice in Judicio particulari venturo ad judicandum quemcumque in exitu ex hoc Mundo. Tandem, quaelibet

anima a corpore separata est capax præmii, vel supplicii (§. 458.), neque expectandum est finale Judicium ut poena afficiatur, vel præmio, sed statim ac separatur a corpore, quod justum est accipiet (§. 477. et seq.); Atqui sine Judicio nec justis praemia, nec impiis pœna datur (§. 473.); Ergo quælibet anima etc.

PROPOSITIO III.

Animæ cum solo peccato originali decedentes, pœna tantum damni, privatione scilicet visionis beatificæ afficientur.

§. 490. Probatur. Nam ait Christus Dominus (Joan. III. v. 5.): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*; Atqui animæ, quæ cum originali decedunt, non sunt per baptismum renatæ; Ergo etc.

§. 491. Probatur 2. quod nulla alia pœna, afficiantur, praeter quam paena damni. Duæ aliæ pœnæ impiis in altera vita dabuntur, pœna nempe sensus, et pœna vermis; pœna sensus, cruciatus scilicet ab igne infernali, quæ respondet conversioni ad creaturam, pœna vermis, nempe conscientiæ remorsus, quæ respondet delectationi habitæ in peccando; sed decedentes cum solo originali, nullam delectationem experti sunt, neque in deordinata conversione ad creaturam, neque in actu peccati; Ergo etc. (1).

(1) Henno *Tomo I. Tract. I. Disp. 3. q. 5. Concl. I. et seq.*

CAPUT IV.

De Judicio universali.

§. 492. *Def. Nomine Judicii universalis hic venit actus ille legitimus supremi dominii, et auctoritatis, quem publice, sollemniter in potestate magna et majestate, in fine sæculorum Christus Dominus, etiam qua filius hominis est, exercebit, quo vocatis omnibus omnino hominibus coram se, et singulorum meritis, vel peccatis perpensis, sententiam æternæ vitæ in justorum favorem, et aeternæ mortis in impios proferet.* Brevius ex subtili Doctore: *Judicium est completa et authentica determinatio reddendi alicui secundum merita* (In IV. Dist. 47. q. I.).

§. 493. *Schol*: Quoniam vero multa terribilia præcedent, comitabuntur, et sequentur hoc Judicium, dies propterea quo fiet, variis nominibus, hisque terrificis vocatur; *Nempe dies Domini* (I. Corinth. I. v. 8. Abdiæ 15.): *Dies furoris Domini* (Job Cap. XX. v. 28. Sophon. Cap. II. v. 3.): *Dies mala* (Psal. 40. v. 2. et 48. v. 6. Ephes. VI. v. 13.): *Dies tribulationis, et vindictæ* (Ecclesiast. Cap. II. v. 13. et V. v. 10.) *Dies tenebrarum, et caliginis; Dies Nubis, et turbinis, magnus Dies Domini* (Joel Cap. II. v. 2.) *Dies iræ* (Roman. II. v. 5.); *Dies magna et amara valde* (Ecclesia in Off. Def.). Sit ne autem Dies haec revera futura

Dissidium est Catholicos inter, et Hæreticos.

§. 494. Hanc diem aliquando venturam, Dogma Catholicorum est, verum non defuerunt Hæretici, nec modo desunt, qui eam negent, et parum esset si non riderent, tamquam inventum, et terriculamentum Presbyterorum. Veteres Pharisæi, Sadducæi, et Samaritani negarunt carnis resurrectionem

atque Judicium extremum sustulerunt. Idipsum præstarunt Basilidiani, Valentiniani, Gnostici etc. (1); necnon Calvinus, Theodorus Beza, et cum ipsis quotquot Sacrarum Scripturarum auctoritatem non reverentur.

PROPOSITIO I.

Christus Dominus in forma humana, sed in majestate, iterum venturus est in Mundum judicare vivos et mortuos; sed incertum est quando veniet.

§. 495. Probatur prima pars. Nam in Ecclesiastico (Cap. XII.) habetur: *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sit, sive malum.* Item Isaias ait (Cap. XIII.): *Ecce dies Domini veniet crudelis, et indignationis plenus, et iræ furorisque ad ponendam terram in solitudine, et peccatores ejus conterendos.* Similiter apud Joelem Prophetam legitur (Cap. II.): *Magnus dies Domini, et terribilis valde, et quis sustinebit illum?* Et ut taceam alios Prophetas, Christus ipse Dominus veritatem hanc, pluribus in locis, docet, sed præsertim apud S. Matthæum (Cap. XXV. v. 31.). Postquam enim imaginem peculiaris Judicii dederat dicens: *inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, et stridor dentium*, subjungit: *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes . . . . . et statuet oves quidem a dexteris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet Rex his qui a dexteris ejus erunt: Venite benedicti*

(1) *Vid.* Gener *Tomo IV. Theol. Dogm. Schol. P. 2. Tract. Lib. 3. Cap. I. n. 281. et seq.*

Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione Mundi etc. . . . Tunc dicet et his qui a sinistris ejus erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum etc.

§. 496. Probatur 2. pars. Loquens Christus de die secundi Adventus sui, ait (Matth. Cap. XXV. v. 36.): *De die illa, et hora, nemo scit neque Angeli Cælorum, nisi solus Pater*; et dum erat ascensurus in Cœlum, interrogatus a discipulis, num in tempore illo restitueret Regnum Israel, respondit eis (Actor. I. v. 7.): *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Ergo etc.

Adversariorum argumentis occurritur.

§. 497. *Objic.* 1. Apud Joannem habetur (Cap. III. 2. 18.): *Qui credit in eum* (Christum), *non judicatur: qui autem non credit jam judicatus est*; Si ergo ex hominibus alii, quia boni non judicantur, alii quia mali jam judicati sunt, procul dubio nullum erit futurum universale Judicium; Adeoque etc.

§. 498. R. disting. sensum auct. Qui credit in eum non judicatur, judicio discussionis, et condemnationis, conc., non judicatur judicio retributionis, nego; et pariter dist. alteram partem auctorit. Qui non credit jam judicatus est, judicio discussionis, conc., judicio finalis damnationis n.; Ergo etc., nego consm. Tria ad Judicium concurrunt: primum ut quis coram Judice se sistat; secundum, ut ejus merita discutiantur; et tertium, ut sententiam recipiat: Quoad primum, omnes nullo excepto, stabimus ante Tribunal Christi in die extremo; quoad secundum, fideles justi non judicabuntur, et infideles jam judicati sunt, quia cum isti manifeste agnoscantur Christi non esse, illi e contra veri Christi imitatores, et servi fideles, nullum judicium discussio-

nis de eis fieri opus erit. Tum isti tamen, cum illi sententiam recipient, infideles nempe, et peccatores æternæ damnationis, fideles vero, et justi æternæ beatitudinis; propterea dicitur; *et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam æternam* (Matth. Cap. XXV. v.).

§. 499. *Contra.* Atqui nec etiam judicium condemnationis infedeles, nec judicium retributionis credentes in Christum patientur; Ergo n. r. Prob. subsm. In morte, quilibet homo judicatur, et statim praemium recipit, vel supplicium; Atqui *non judicabit Deus bis in idipsum*; legitur enim (Nahum I.). *Non consurget duplex tribulatio;* Ergo etc.

§. 500. R. dist. maj. In morte etc. complete, et publice n., incomplete, et privatim, conc. Atqui etc., eodem modo, eodemque respectu, conc., diverso, nego min., et consm. In morte utique quilibet homo judicatur, et vel praemium pro bene gestis, vel supplicium pro peccatis recipit; at non complete, quippe anima solum est illa quae praemio afficitur, vel supplicio, et hoc notum est eliquibus, et cui evenit. Quia ergo anima in corpore vel peccavit, vel bona opera fecit, et corpore tamquam istrumento usa est in suis operationibus sive bonis, sive malis, simul etiam cum corpore, cui denuo copulabitur, praemium, vel supplicium publice et eorum omnibus recipere debet. Neque propter hoc dici potest, Deum bis judicare in idipsum, nam diverso respectu judicat in finali judicio; judicat nempe hominem complete in anima, et corpore; idque cum sollemnitate, et publice, quod in judicio privato non fecit.

§. 501. *Contra.* Atqui nullo modo aliud fiet Judicium ab eo, quod in morte fit uniuscujusque; Ergo n. r. Prob. subsm. In Ecclesiaste habetur (Cap. II. v. 4.): *Ubi cciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, ibi erit;* Ergo etc.

§. 502. R. Adductum testimonium nihil aliud pro-

bat, quam hoc; nempe post hanc vitam non esse amplius locum amittendi, vel recuperandi Dei amicitiam, sed si homo decesserit ad Austrum, idest in Divina amicitia, ibi perpetuo manebit: si ad Aquilonem, idest in Dei ira, et inimicia, ibi perpetuo erit (Vide Cornelium a Lapide in hunc locum.), absque ulla spe misericordiae, et salutis; non autem quod nullum amplius Judicium fiet. Nam in universali Judicio non immutatur sententia in morte lata, sed completur, et publica fit. Unde et dicitur, quod oves, nempe justos, qui jam aeterna beatitudine fruebantur, statuet a dexteris, et haedos, hoc est peccatores, et qui jam positi erant in Inferno, a sinistris. Ad Austrum namque cecidit lignum? ibi manebit, et gloriosior erit in die Judicii; cecidit ad Aquilonem? ibi manebit, et mirabiliter tormentis auctum ad praesentiam supremi Judicis erit (1).

§. 503. *Objc*: II. Ut fiat judicium universale debent et impii quoque resurgere, atque judicio interesse; Atqui, ut ait Propheta David (Psal: 1. v. 6.): *Non resurgent impii in judicio*; Ergo falsa propositio.

§. 504. R. dist. min: Impiis etc. denegatur resurrectio ad vitam, quae propria est justorum, conc. ans.; denegatur resurrectio carnis, n° ans. Duplex est resurrectio, una ad vitam, alia ad judicium, sive ad mortem. Prima est justorum, de quibus dicitur (Sapientiæ Cap. IV. et V.): *stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt etc*; Secunda est impiorum, de quibus ibidem

(1) *Legantur* Aloysius Lipomano *in Libro Italice scripto, cui titulus*: Confirmazione, e stabilimento di tutti i dogmi Cattolici etc. De Busto *Tomo I. Rosarii Serm. q. p.* 1. Siuri *Tract. IX. Cap. I. Manstrius Disp.* XXVIII. *q. 1. art.* 1.

habetur, *quod erunt gementes, et memoria illorum peribit etc.* Per resurrectionem ad vitam justi rapientur obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erunt; per resurrectionem ad judicium, et ad mortem, impii erunt in ima valle sine honore, perterriti, et in contumelia inter mortuos in perpetuum, a facie Dei, et a consortio Angelorum, et Sanctorum projecti. Uno verbo: non resurgent impii in Judicio ad gloriam, et aeternam vitam; bene vero, ut simul anima et corpore, aeterna morte, puniantur.

§. 504. *Contra.* Atqui nullimode resurgent impii ut stent ad Judicium; Ergo n. †. Si resurgent impii, ipsi in carne, oculis corporeis Jesum Christum viderent; Atqui non videbunt; Ergo etc. Prob: min. S. Job (Cap: XIX. v. 26.); loquens in persona justorum ita inquit: *In carne mea videbo Deum meum; quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius.* Quibus positis, en argumentum. Jobi sententia, soli justi, et non alii conspecturi sunt in finali Judicio Christum Deum hominem; Ergo impii etc.

§. 505. R. admitt: auct; Non soli justi, oculis corporeis in finali judicio, Jesum Christum videbunt *venientem in nubibus Cœli cum potestate magna, et majestate*; sed etiam impii, ast non eodem modo. Cum namque impii eo fine ad judicium vocentur, ut supplicia, anima simul et corpore, publice et solemniter a Judice Jesu recipiant, profecto illius visio tali terrore, et confusione eos afficiet, ut videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis, ac vellent omne aliud supplicium pati, quam Christi severissimi in eos judicis vultum cernere. Videbit itaque peccator, et irascetur, dentibus suis fraemet, et tabescet; ast omne impiorum desiderium peribit. Cum vero justi, in resurrectione simul rapientur ut eant obviam Christo in aera, sintque semper cum eo, videantque vultum illius tali,

tantaque gloria fulgentem, ut sola illius visione lætitia eos adimplebit; cumque sint ab illo accepturi Regni Coelestis possessionem, idcirco ipsi soli, et non alii dicendi sunt videre in carne propria Christum Dominum.

§. 506. *Contra*. Atqui impii nullo modo videbunt Christum judicem in judicio, neque resurgent in judicio; Ergo n. r. Prob: subsm: Impii corpus, non est capax poenae, vel supplicii, ad quid ergo, insigni miraculo, iterum animae copulabitur, ut stet in judicio? Ergo etc.

§. 507. R. Corpus hominis impii, et cujuscumque alii, dummodo jacet resolutus in pulverem, supplicii utique capax non est; Atque propter hoc aliquando necesse est, ut denuo animae uniatur, ut cum ea capax poenae evadat. Nam cum anima non sola, sed cum corpore in praesenti vita peccaverit, atque de peccatis in præsenti vita commissis judicari debeat, juxta illud Apostoli: *Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*, proculdubio debet et impius cum proprio corpore in judicio esse coram Christo in humana forma apparente, atque judicante. Laudato itaque argumento solidatur potius, quam debilitatur nostra propositio; Adeoque etc.

PROPOSITIO II.

Signa peculiaria proxima futuri Judicii universalis hæc sunt; 1. Evangelii prædicatio, et promulgatio per totum Orbem; 2. Discessio a Romano Imperio, et a fide; 3. Antichristi adventus; 4. Eliæ, et Henoch prædicatio; 5. Portenta in Cælo, in elementis, in Terra, et in hominibus, et 6. Ignis conflagrationis.

§. 508. Prob. Nam quoad primum. Cum Apostoli Christum interrogassent: *Dic nobis quando hæc erunt, et quod signum adventus tui, et consumationis sæculi?* post aliqua documenta, ne circa tempus Judicii deciperentur, respondit Jesus (Matth. Cap. XXVIII. v. 14.): *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consumatio.* Predicabitur nempe Evangelium, ajunt Patres (Apud Tirinum, aliosque Exposit. citat.), non obiter tantum, et clam ut tempore Apostolorum contigit, sed publice ac solemniter, permittentibus, imo amplexantibus illud omnibus Regibus, et Regnis Terræ.

Quoad secundum, et tertium. Apostolus ad Thessalonicenses scribens, ait (Epist. II. Cap. II. v. 1. et seq.): *Rogamus vos fratres . . . ut non cito moveamini . . neque terreamini . . . . quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.* Discessio non solum a Romano Imperio temporali, sed a spirituali, scilicet a fide Catholica Romanæ Ecclesiæ, ait D. Thomas (In hunc locum.), quia non solum populi rebelles erunt temporali Domino Romani Imperii, unde et istud destruetur, sed a fide discedent, adeo ut dixerit Christus Dominus (Lucæ XVIII v. 3.) *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in*

terra? Revelatus fuerit homo peccati etc.; hoc est Antichristus: *Qui adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in Templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus etc.* Ergo etc.

Quoad quartum. Apud Malachiam Prophetam (Cap. IV. v. 5.) ait Deus de Elia: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis. Et convertet cor Patrum ad Filios, et cor Filiorum ad Patres eorum, ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.* De Henoch vero habetur in Ecclesiastico (Cap. XLIV. v. 16.): *Henoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.* De ambobus autem legitur in Apocalypsi (Cap. XI. v. 3.): *Et dabo duobus testibus meis et prophetabunt . . . amicti saccis.* In quibus duobus Prophetis, Patres et Interpretes Henochum, et Eliam agnoverunt, ait Calmet (In hunc loc.); quos revera fatemur in Mundi exitu ante Judicium supremum venturos, ut fideles ab Antichristo vexandos tueantur, et regant.

Quoad quintum. Ait Christus apud S. Matthæum (Cap. XXIV. v. 29.): *Statim autem post tribulationem dierum illorum* (persequutionis nempe, crudelitatis, et scelerum Antichristi), *Sol obscurabitur, et Luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de Cælo, et virtutes Cælorum commovebuntur; et tunc parebit signum Filii hominis in Cælo.*

Quoad sextum tandem. Psalmista hanc testatur veritatem dicens (Psal. 96.): *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus;* quam Paulus ad Thessalonicenses confirmavit, dicens (Epist. II. Cap. I. v. 7. 8.), venturum Dominum Jesum *de Cælo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantem vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio.* Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Omnes omnino homines cujuscumque ætatis, ordinis, et conditionis ad Judicium vocandi erunt.

§. 509. Probatur 1. ex Scripturis. Apud S. Matthaeum habetur (Cap. XXV.): *Et congregabuntur ante eum omnes gentes . . . et statuet oves quidem a dextris suis; hædos autem a sinistris etc.* Apostolus ad Romanos scribens, ait (Roman. XIV. v. 10.): *Omnes stabimus ante Tribunal Christi . . . unusquisque nostrum rationem reddet Deo*; Et ad Corinthios (Epist. II. Cap. 5.): *Omnes enim nos* ait, *manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum.* Ergo etc.

Dices. Ex his posterioribus verbis D Pauli ad Corinthios videtur, parvulos abortivos, vel natos, sed absque baptismo mortuos, omnino excludi a Judicio; nam isti non habent propria corporis, quæ referant; Adeoque etc.

§. 510. R. Cum peccatum originale sufficiat ad excludendum pueros a Paradiso, et puniendum pœna damni (§. 490.): judicium propterea sive discussionis, sive condemnationis sustinere debent; Itaque si non habent propria opera quæ referant, habent tamen quod corporis referant, peccatum nempe originale; unde non judicabuntur, ait, Glossa (Apud S. Thomam Comment in hunc locum.), pro his, quæ gesserunt per se, sed de his quæ gesseruut per alios, dum per eos crediderunt, baptizati fuerunt. Quare ante Tribunal Christi eos stantes vidit S. Joannes in Apocalypsi (Apocalyp. XX.): *Vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu Throni.*

(1) Legant. Siuri. et Manstrius, ut supra etc.

PROPOSITIO IV.

Mortuorum Resurrectio est possibilis, et aliquando futura.

§. 511. Probatur. Ad mortuorum resurrectionem nihil aliud requiritur quam, ut illa materia, quæ alicujus hominis est, recolligatur; uniatur et in eamdem membrorum formam compingatur, quam aliquando habebat, deinde anima ei iterum uniatur; Atqui hoc, inspecta divina potentia, contradictionem non involvit; Ergo etc. Probatur min. Qui potest plus, potest et minus; Atqui Deus fecit plus; nempe hominem creavit ex nihilo; Ergo potest facere quod est minus, hominem nempe resuscitare. Praeclare ad rem ait Isidorus Pelusiota (Lib. I. Epist. 284.): *Cum Deus ex nihilo ea, quæ vult, in ortum producere queat: multo magis ea, quæ jam corpore orta sunt, atque in terram redierunt, innovare poterit.*

§. 512. Probatur 2. pars. Job (Cap. XIX. v. 25.) ita loquitur: *Scio quod Redemptor meus vivit et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum etc.* Apud Danielem (Cap. II. v. 2.) habetur: *Qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, et alii in opprobrium.* Apud Joannem (Cap. V. v. 28.) ait Christus: *Qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii*; Ergo etc.

Dices. videtur omnino impossibilis resurrectio hominum; Nam multa corpora cremata fuerunt, et cineres per æra dispersæ, vel in mare projectæ (1); non pauca a færis, piscibus, muribus, aliisque ani-

(1) *Lib. XXII. de Civit. Dei Cap. 20. per totum.*

malibus vorata, et in ipsorum substantiam, et corpora transierunt; quomodo ergo fieri potest ut idem corpus resurgat?

§. 513. R. Si humana facultas, et potentia inspicitur; vel si Dei potentia ideis nostris commensurari deberet, impossibilis videtur resurrectio. Sed » absit, *ait S. Augustinus* » ut ad resuscitanda » corpora, vitæque reddenda, non possit omnipoten» tia Creatoris omnia revocare, quae vel bestia vel » ignis: vel in cinerem pulveremque callapsum, vel » auras est exhalatum. Absit ut sinus ullus, secre» tumque naturae ita recipiat aliquid subtractum » sensibus nostris, ut omnium Creatoris aut lateat » cognitionem, aut effugiat potestatem . . . Redde» tur ergo caro illa homini, in quo esse caro hu» mana primitus cœpit ». Quare S. Paulinus de obitu Celsi pueri ita cecinit.

Nullus cram et faciente Deo sum natus ut essem,
Nunc jam de proprio semine rursus ero.
Nam Licet in tenuem redigantur et ossa favillam
Corporis integri semine pulvis habet. (1).

PROPOSITIO V.

Omnes omnino homines, tam boni quam mali, cujuscumque ætatis resurrecturi erunt.

§. 514. Probatur. Nam ait Apostolus ad Corinthios (Epist. I. Cap. XI. v. 51.): *Omnes quidem resurgemus*; et sicut per Adae peccatum omnes moriuntur (§. 435.), ita per Christum omnes resurgent, et vivificabuntur. Deinde omnes stabunt ante Tribunal Christi, nemine excepto, sive boni sive

(1) *Vide plura apud Coccium Tomo II. Lib. X. n. 480, et seq. 410. 430. 440.* L' Herminier Tomo V.

mali; sive magni, sive parvuli (§. 509. et seq.); Atqui in anima et corpore omnes stabunt ante Tribunal Christi, quia in corporibus perficiuntur ea quae sunt justitiae Dei (§. 509. 510.), et completam unusquisque accipiet retributionem. Ergo etc.

CAPUT V.

De Paradiso, seu de statu Justorum in altera vita.

§. 515. *Def: Paradisi nomine hic intelligitur locus in Cælo omnimodae, atque ineffabilis amoenitatis, ubi Deus justis praemia meritorum, aeterna beatitudine, rependit.*

§. 516. *Schol.* Locus iste variis nominibus in Sacris litteris designatur. Dicitur namque *Cælum Cæli* (Psal. 67. v. 34.): *Terra viventium* (Psal. 141. v. 6.): *Regnum Cælorum* (Matth. Cap. III. v. 2.), et *Regnum Dei* (Marci X. v. 23. etc.): *Domus Æterni Patris* (Joan. XIV. v. 2.): *Vita æterna* (Matth. XIX. v. 29.): *Jerusalem Cælestis et Ecclesia primitivorum* (Hebraeor. XII. v. 22.). Verum de ejus existentia variae sunt.

Hominum sententiæ.

§. 516. Et quidem locum hunc non extare, praeter illos qui omnem hominis felicitatem in praesenti vita constituentes, nihil, ne quidem animam, post mortem superesse putabant, Michael Balbus Amoraeus, Barbara Sigismundi Imperatoris Conjux, et Gregorius David effutierunt; unde veluti vanam, doctrinam de bonis aeternis respuebant. Fuerunt alii qui aut dicebant Christi Regnum non esse in Cœlis, sed in Terra; aut per mille annos esse in Terra, et postea in Cœlis. Sed omnes qui recta ratione utuntur, atque in spe gloriantur filiorum Dei, Paradisum

recognoscunt, licet non pauci errent in illius felicitate explicanda. Nec mirum. Nam admodum difficile est humanae menti nosse, supernae illius Civitatis, et æternae vitae qualia, et quanta sint bona, et gaudia quae Deus praeparvit diligentibus se, sibique in hac vita fideliter serventibus. Unde Augustinus (Lib. III. de Symb. ad Catechum. cap. 12.): *facilius*, ait, *possumus dicere in illa vita æterna quid ibi non sit, quam quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames: nulla sitis, nullus aestus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla tristitia. Ecce diximus quid ibi non sit. Quid autem ibi sit vultis nosse?* » Haec nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in » cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus di» ligentibus se » (I. Corinth. Cap. 2.). Sit tamen.

PROPOSITIO I.

Dotes corporis gloriosi sunt quatuor; nempe 1. Impassibilitas: 2. Claritas; 3. Agilitas; *et* 4. Subtilitas.

§. 517. Probatur quoad singulas dotes. Et primo: corpus gloriosum erit *impassibile*. Nam in Apocalypsi (Cap. VII. v. 16.) loquens Joannes de Beatis, ait: *Non esurient, neque sitent amplius, neque cadet super illos sol, aut ullus æstus*; Et alibi Apoc. Cap. XXI. v. 4.): *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultra.*

Secundo: corpus gloriosum erit *clarum*, splendens scilicet luminosissima claritate. Nam in Libro Sapientiae legitur (Cap. III.): *Fulgebunt justi, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent;* Et apud Matthaeum (Cap. XIII. v. 43.) ait Christus Dominus: *Justi fulgebunt in Regno Patris eorum*

Tertio: corpus gloriosum erit *agile*; expers nempe oneris, quo nunc praemitur, atque gravatur, pro libito, ubicumque voluerit celerrime, et absque vel minima difficultate se movere poterit; Nam ait Apostolus (Corinth. XV. v. 43.): *seminatur in infirmitate, surget in virtute*: » Qua scilicet fiet ut tanta » virtute, *ait S. Thomas* (Comment. in hunc lo» cum) ab anima moveri possit, ut in nullo diffi» cultatem ad motum exhibeat, quod ad vocem agi» litatis pertinet. Tanta enim erit ibi facilitas, quanta » felicitas ».

Quarto: corpus gloriosum erit *subtile*, scilicet adeo animae imperio subjectum, eique ad nutum obediens, ut licet vera carne constet, videatur spirituale. Nam ait idem Apostolus (I. Corinth. XV. v. 43.): *Seminatur corpus animale; surget spirituale*; Ergo etc.

§. 518. Probatur 2. D. Paulus ad Philippenses scribens ait (Cap. III. v. 21.), quod Christus *reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suæ*. Sicut ergo fuit corpus Christi gloriosum post resurrectionem, ita erit et corpus nostrum; Sed corpus Christi fuit 1. *Impassibile*, et immortale juxta illud (Roman. VI. v. 9.): *Christus resurgens ex mortuis* jam *non moritur*, *mors ei ultra non dominabitur*; 2. fuit mira *claritate* resplendens, ut ait Apostolus loco citato; 3. fuit *agile*; de uno namque in alium locum facillime petransibat (Joan. Cap. ult.); et 4. tandem fuit *subtile*, ita ut januis clausis ingressus sit Cœnaculum (1) Ergo etc.

(1) *Ibid. Cap. XX. Videant.* D. Thomas *in suppl. quaest 82. 83. 84.* S. Bonaventura *Lib. IV. Dist. 69. n. 37.*

PROPOSITIO II.

In Paradiso Animae beatitudo est clare videre Deum, perfecte illum amare, illoque frui.

§. 519. Probatur. Nam ait Psalmista (Psal 83.): *Videbitur Deus deorum in Sion.* Unde cupiens illic esse, ajebat (Psal. 41. v. 3.): *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei*; nec non exultans prae gaudio promissae felicitatis aeternae: *satiabor*, repetebat Deo (Psal 16. v. 15.), *satiabor cum apparuerit gloria tua*; *quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Joannes pariter inquit (Cap. I. v. 3.): *Videbimus eum sicuti est*; et Paulus tandem ad Corinthios scribens ait (Epist. I. Cap. XIII. 2. 12.): *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quare S. Augstinus de illa suprema beatitudine loquens (Lib. I. de Doct. Christ. Cap. 30.), scribit: *Summa hæc est merces, ut fruamur Deo.* Et alio (Lib. XXII. de Civit. Dei Cap. ult.): *Ibi* (nempe in Paradiso) *vacabimus, et videbimus, videbimus, et amabimus, et laudabimus, ecce quod erit in fine, sine fine.* Et S. Bernardus (Epist. 28.): *Sicut*, inquit, *in hac vita initiat Fides, et desiderium, ita in alia consumat visio et amor.* Ergo etc. (1).

CAPUT VI.

De Inferno.

§. 520. *Def.* 1. Inferni nomine generaliter intelligitur locus quilibet infra terram. Quo sensu sepulchra, inferorum nomine, Sacris in litteris designantur. Magis autem ad rem, Infernus hic nobis *est locus subterraneus* a Deo *destinatus excipiendis hominibus*

(1) Legan: S. Thomas in suppl: Q. 95. art: V. Manstrius Disp: XXV. de Caelo, et statu Beatif.

qui cælesti beatitudine frui, aut ad tempus, aut in perpetuum non merentur.

§. 521. *Schol:* Locus autem iste quadruplex est; 1. nempe Limbus Veterum SS. Patrum; 2. Limbus puerorum; 3. Purgatorium; et 4. Infernus proprie dictus.

§. 522. *Def: 2. Limbus SS. Patrum locus est, ubi animæ piorum, qui decesserunt ante Christi adventum detinebantur, orbatæ quidem Dei visione, at nulla sensibili pœna afflictæ, imo gaudio, et quadam felicitate, et pace donatæ, expectantes beatam spem, et adventum Messiæ, qui januas Regni Cælestis aperiret;* Unde hic locus a Christi resurrectione vacuus relictus est.

§. 523. *Def. 3. Limbus puerorum est locus, ubi animae puerorum cum originali peccato decedentium detruduntur, nulla sensibili poena afflictæ, sed Dei visione in perpetuum carentes.* Locus iste, an post finale judicium existat, disputatur inter Doctores.

§. 524. *Def: 4. Purgatorium est locus, in quo animæ justorum, nondum perfecte purgatæ, et æterna beatitudine dignæ, detinentur usque dum Deo perfecte satisfecerint, et purificatæ fuerint.* Hic locus post finale Judicium non amplius existet.

§. 525. *Def: 5. Infernus tandem proprie dictus est locus, in quo omni tormentorum genere, Dæmones, et impii a Dei facie projecti, absque ulla spe aliquando exeundi, detruduntur, in aeternum puniendi, et nunquam misericordiam consequturi.*

§. 526. *Schol:* Infernus hic proprie dictus, variis, hisque terrificis nominibus, ut pœnarum, queis abbundat, acerbitas quadammodo exprimatur, vocari solet. *Infernus nempe inferior* (Psal. 48. v. 16.) a Psalmista: *Gehenna ignis* a Jesu Christo (Matt. Cap. V. v. 22. et passim.), *et tenebræ exteriores* (Matth. Cap. VIII. v. 12.): *Stagnum ignis, et sulphuris* a S. Joanne (Apocalyp. Cap. XIX. v. 20.):

Locus tormentorum apud S. Lucam (Cap. XVI. v. 48.), et *Abyssus* (ib. Cap. VIII. v. 31.): *Tartarus* a S. Petro (Epist. II. Cap. 2. v. 4.), et *Avernus* ab Ecclesia (In. Hymmo I. Brev. Rom.). Quis Infernum non horrebit?

§. 527. At infernum hunc non extare, sed esse vel purum antiquorum Poetarum effictum, vel Praesbyterorum commentum, quidam antiqui Philosophi, Pithagoras nempe, Epicurus, Lucianus et alii dixerunt; Unde, et apud Ovidium (15. *Metamorph.*) legitur.

Quid Styga, quid Corytum, quid nomina vana timetis,
Materiem Vatum, falsique pericula Mundi?

Et apud Lucretium (*Lib.* 3. *de Natura*):

Cerberus, et Furiæ; jam vero et lucis egenus
Tartarus, honorificos eructans faucibus æstus;
Hæc neque sunt usquam, nec possunt esse profecto.

Gnostici quoque, atque Albigenses; immo multi etiam nostris hisce temporibus, nedum Infernum rident, sed et omnem quoque Inferni ideam abolere conantur. Quod namque quondam Genevae adolescentulus quidam cecinisse scribit Petrus Viretus Lib. VI. de ministerio Verbi, hodie frequens est in juvenum multorum ore. Nempe

. . . . . , *hunc esse beatum.*
Quique metus omnes, et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitunque Acherontis avari.

Sed quam immerito, ex modo sequentibus constabit.

PROPOSITIO I.

Datur revera Infernus damnatorum.

§. 528. Probatur 1. ex Scripturis. In Libro Numeri describens Moyses Dathan, Corae, et Abiron supplicium, ait (Cap. XVI. v. 31.) quod *descen-*

derunt vivi in infernum operti humo. Apud Isaiam (Cap. V. v. 14.) legitur: *Dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino: et descendent fortes ejus etc.* In Evangelio pluribus in locis Christus Dominus de Inferno mentionem facit. Apud S. Matthaeum (Cap. X. v. 28.) ait: *potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam;* apud S. Lucam (Cap. XVI. v. 22.): *Mortuus est dives, et sepultus est in Inferno;* et de supplicio finali reproborum loquens, ait (Matth. Cap. XXV. v. 46.): *Ibunt hi in supplicium aeternum etc.* Tandem, ut alios taceam, ait S. Petrus (Epist II. Cap. 2. v. 4.): *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos.* Ergo etc.

§. 529. Probatur 2. ratione theologica in Scripturis fundata. Deus est justus, et justitiam diligit. Bonos ergo atque diligentes se praemio afficit, peccatores vero, atque iniquos poena atque supplicio; unde frequens est in Scripturis: Dominum benedicere justo (Psal V. v. 13.): Justos laetari in Domino (Psal. 63. v. 11.); ut palma florere (Psal. 91. v. 13.); ipsorum animas esse in manu Dei (Sapien. III. v. 1.), etc. Peccatores autem, atque injustos Deum disperdere (Psal. 144. v. 20.), atque reprobare (Psal 118.): eorum cervices concidere (Psal. 128. 2. 4.): eos odio habere (Ecclesiast. VII. 2. 3.): eisque reddere vindictam (Ibid. v. 4.), etc.; Atqui plerumque in hoc Mundo cernimus, justos et bonos malis affligi, atque persequutionibus agitari, impios vero atque peccatores, divitiis affluere, laetosque dies agere; Ergo dicendum, alteram vitam esse; in qua sicuti pro justis paratum est Regnum, aetaerna felicitas cum Deo; ita pro peccatoribus paratus est Infernus, in quo aeterne cruciabuntur. Ita sane; unde de impiis dicebat Job (Cap. XXI. v. 13.): *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad finerna descendunt.*

§. 530. *Objic.* Inferni existentia est purum inventum ad vitia coercenda, a Platonis doctrina, et Poetarum figmentis ortum; Ergò admittenda non est

§. 531. R. Nihil ineptius dici poterat quam quod in argumento asseritur. Quid namque opus erat ex Poetarum fabellis Inferni ideam compingere, ut homines a vitiis cohiberentur? Adeone stulti, et bardi fuerunt homines ut sibi persuaderent, absque ullo fundamento, Infernum existere, a vitiis proinde abstinendum esse? Nonne et pænae apud omnes populos fuerunt, formidine quarum oderunt peccare mali? Quod si praesentium poenarum terroribus a malo vix impii coercentur, multo minus vanis Inferni fictionibus id fuisset obtentum. Deinde falsum omnino est ex Platonis doctrina, et Poetarum figmentis ortum fuisse inventum, ut ajunt adversarii, de existentia Inferni. Nam ante Platonem, aliosque Poetas, fere annos mille biscentum, floruit Moyses, floruit Job, qui de Inferno, loco, vindictae, et punitionis, testimonium faciunt (§. 528.). Quare dicendum potius cum Clemente Alexandrino (Lib V. Stromatum), quod *Supplicia post mortem, et pænas: quæ igne luuntur, a Prophetis barbara Philosophia, et universa Musa poetica, et Græca surripuit Philosophia*; non vero quod Catholici ex Platonis doctrina et Poetarum fabulis ideam Inferni mutuati fuerint.

§. 532. Contra. Atqui existentia Inferni non est nisi purum figmentum a Platone et a Poetis mutuatum; Ergo n. r. Prob. subsm Infernus qualis asseritur, omnino repugnat tum ex parte Dei, qui est misericors, et pius, cum ex parte hominis, qui cum sit pronus ad malum, misericordia dignus est; nam novit dominus figmentum nostrum, et recordatur quoniam pulvis sumus; tum tandem ex parte offensæ,

quæ cum finita sit, pœnam æternam non meretur; Ergo etc.

§. 533. R. Nullo pacto, ex adductis in argumento, repugnat Infernus, qualis asseritur (§. 525. 528.) Non enim repugnat ex parte Dei. Nam Deus est quidem summe misericors cum homine, sed est etiam summe justus: *Sicut* ergo, ait S. Bonaventura (Lib. IV. Disp. 44. q. I.), *summe misericordis est summe misereri, et misericordiam suam summe manifestare per effectum: sic et summe justi est summe punire, et suam justitiam manifestare per effectum.* Non repugnat ex parte hominis. Nam etsi homo sit fragilis, et pronus ad peccandum, habet tamen media, et auxilia quibus aut a peccatis præcavere, aut ab eis resurgere potest. In vita propterea ipse misericordia Dei undique circumdatus dici potest; at si abutens misericordia Dei, impœnitens moritur, incidit in Dei justitiam, qua reddetur ei pro mensura delicti plagarum modus. Nec tandem repugnat ex parte offensæ. Nam licet offensa in se inspecta, et prout est cogitatio, actio aliqua, vel omissio, sit finita; considerata tamen ut offensa est Dei boni infiniti, poenam meretur infinitam; Et licet, » ait praefatus Seraphicus Doctor (1), » delectatio illa transiens sit momentanea, quia tamen deordinata tenet rationem perpetuitatis, pœna » deordinati respondens debet habere carentiam finis; » ut sicut homo in suo perpetuo finem non apposuit » a peccato recedendo, sic Deus in suo perpetuo non » desistat a puniendo, et sicut homo contra infini» tum peccavit, sic poenam habeat infinitam. Et quia » non potest habere poenam infinitam intensive, ha» beat saltem duratione ».

---

(1) *In Breviloq. Parte VII. Cap. 6. per totum. Legatur* Boucat *Tom. II. Theolog. Patrum Dissert. IV. art. 4.*

§. 334. *Contra*. Atqui Deus esto sit justus, adhuc tamen repugnat quod existat Infernus: Ergo n. r. Prob. subsm. Esto Deus sit justus, est tamen adeo dives in misericordia, ut numquam misereri obliviscatur (Psal. 76 v. 10.); et ejus misericordia, nedum est super omnia opera ejus, sed superexaltat judicium ipsum (Jacobi Cap. II. v. 13.), et ita quidem ut circumstet justitiam: Quare David de misericordia, et de justitia Dei loquens, ponit misericordiam ante, et post justitiam; ait siquidem *misericors Dominus, et justus* (Psal 114. v. 5.), *et Deus noster miseretur*. Ergo non patietur aliquem apud inferos tam sæve, et in perpetuum torqueri; Adeoq. etc.

§. 535. R. Laudata in argumento, et alia hujusmodi verissima sunt si de Deo loquamur, hominem inspiciente in hac vita præsenti. Revera enim quantumlibet homo peccet in hac vita; esto ejus peccata multiplicata fuerint super numerum arenæ maris; dignus propterea qui divinam ultionem mereatur, et a facie Dei projiciatur, Deus tamen propter misericordiam non obliviscitur illius, imo dat ei media, et auxilia, quibus a peccatis eum avertat, et ad se convertat; adeo ut non sit mater, quæ sic consoletur de reditu filii sui domum, eumque complectatur, quemadmodum Deus paratus est excipere poenitentem quacumque hora se converterit. At peracto vitæ hujus termino: *si ceciderit lignum ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit* (Ecclesiast. Cap. XI. v. 3.); adeoque sicut homo non est amplius in statu merendi, neque amplius vult se ad Deum convertere; ita etiam extra omnem spem divinæ misericordiæ est; *Mortuo enim homine impio*, ait Salomon in Proverbiis (Cap. XI. v. 7.), *nulla erit ultra spes, et expectatio solicitorum peribit*. Ceterum etiam in Inferno, dicere possumus, Deum exercere quodammodo suam misericordiam, non quidem reprobos liberando,

vel poenas assignatas minuendo, sed *citra condignum* eos puniendo, uti docent Theologi (1).

§. 536. *Objic*: II. Quidquid sit de Inferno in Lege Veteri, certum est in lege Nova, Infernum per Iesum Christum esse penitus ablatum; Ergo falsa Prop. Prob: antec: Oseæ (Cap: XIII. v. 14.) legitur: *de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors: morsus tuus ero inferne*; Ergo etc.

§. 537. R. dist: antec: Et laudatis verbis vult innuere Propheta, Christum Dominum sua Redemptione, ex parte destruxisse Infernum, conc: totaliter sustulisse, n. antec: et consm. Christus Dominus sua morte, mortem utique omnium superavit in æternum, et vitam nostram resurgendo reparavit; atque ad infernum descendit. » Ex quo, ait Gregorius Magnus (Hom: XXII. in Evang: » Neque infideles » quosque, et suis criminibus, æternis suppliciis » deditos, adveniens reparavit, sed illos ex Inferni » claustris eripuit, quos suos in fide, et charitate » recognovit. » Propterea per Oseam Prophetam dixit: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero inferne.* Id namque quod occidimus, facimus, ut penitus non sit. Ex eo quod mordemus, partem abstrahimus, et partem relinquimus; quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors morti extitit; quia vero ex inferno partem abstraxit, nempe Sanctos Patres e Limbo liberando, et partem reliquit, nempe reprobos finaliter damnatos, non occidit funditus, sed solum momordit Infernum. Quare si Salvator solum momordit Infernum, non ipsum evacuavit, neque totaliter destruxit; Adeoque existit Infernus.

§. 538. *Contra*. Atqui Christus Dominus ita mo-

(1) *Legatur* Manstrius *Disput. XXVI. quæst. III. art. 2.*

mordit Infernum, ut illum quoque damnatorum, evacuaverit; Ergo n. r. Prob: subsm. De Christo Redemptore ita (Feria VI. in Parasc:), canit Ecclesia: *Hodie portas mortis, et seras pariter Salvator noster ipse disrupit. Destruxit claustra Inferni, et subvertit potentias Diaboli.* Atqui haec, nonnisi de Inferno damnatorum, et de damnatis intelligi possunt; Ergo etc.

§. 539. R. admitt: auct: in sensu explicando. Verba illa desumpta ex Psalmis intelliguntur peroptime de inferno Sanctorum Patrum, quos Salvator noster, statim post mortem ad Inferos descendens, liberavit. Per hoc enim verificatur, quod Salvator disrupit seras mortis, quia ad æternam vitam sanctos illos vocavit, qui jam diu veluti mortui detinebantur; destruxit claustra Inferni, quia non permisit aliquem Sanctum ibi destinari. Subvertit potentias Diaboli, quia cum Paradisi janua propter peccatum Diaboli vafritia inductum occlusa foret, per Christi Passionem, et mortem reserata est.

§. 540. *Contra.* Atqui ita Christus Infernum Damnatorum momordit, ut illum penitus destruxerit; Ergo n. r. Prob: subsm. Christus Dominus visitavit etiam Infernum damnatorum; Nam Isaiæ Cap: XXIV. legitur: *Et congregabuntur in congregatione unius fascis in locum, et claudentur ibi in carcere: et post multos dies visitabuntur*; Ergo.

§. 541. R. Ex quo etiam damnati dicantur a Christo in inferno visitati, perperam deducunt adversarii, illos fuisse liberatos a pœnis, infernumque prorsus evacuatum. Nam » Christo descendente ad Inferos, ait S. Thomas (5. p: q: 52. art. 6. ad 1.), omnes qui erant in » quacumque parte Inferni sunt » aliqualiter visitati: sed quidam ad suam consola» tionem, et liberationem; quidam autem ad suam » confutationem, et confusionem sicut damnati (Sic » etiam explicat S. Hieron:) Potest etiam hoc re-

» ferri ad visitationem qua visitabuntur in die Ju» dicii, non ut liberentur, sed ut amplius condem» nentur, secundum illud Sophoniæ (Cap: 1. v. 12.): *Visitabo super viros defixos in faecibus suis.* Nihil ergo ex adducto testimonio conficitur contra nostram thesim; Adeoque etc.

PROPOSITIO II.

Christus Dominus statim ac in Cruce emisit spiritum, vere et realiter descendit ad Inferos; ad Limbum nempe SS. Patrum

§. 542. Probatur. Christus ad Inferos descendit, ut eos liberaret quos vinctos illi detinebant, juxta illud Osee (Cap. XIII. 2. 14.): *ero mors tua, o mors: morsuus tuus ero inferne*; necnon Zachariæ Prophetæ qui Salvatorem promissum alloquens, ait (Cap. IX. v. 11.): *tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Atqui in Inferno damnatorum nulla est redemptio; nec ullus qui eo perductus est, potest a poenis liberari; Ergo Christus non ad Infernum damnatorum, sed ad Limbum SS. Patrum descendit (1).

PROPOSITIO III.

Ignis Inferni est verus ac realis.

§. 543. Probatur. Nam de instrumento poenarum Inferni loquentes Prophetae, ignem prraecipue assignant. Job siquidem (Cap. XXIV. v. 19.): *Ad ni-*

(1) Legat. Bibliot. Theolog. Tom. V. pag. 775. *Contenson T. II. lib. X. Dissert. 3. Cap. I. Specalat. 3.* Bellarm: de Christo Lib: IV. Cap: XII.

mium calorem, ait, *transeat ab aquis nivium.* Similiter Psalmista (Psal. 10.): *Ignis, et sulphur*, inquit, *et spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Isaias quoque, peccatores a peccatis avertere volens poenarum Inferni consideratione, ait (Cap. XXXIII. v. 14.): *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Tandem Jesus Christus expressis verbis hoc docuit, cum apud S. Matthaeum de finali sententia, quam impiis in Judicio dabit, loquens ait (Cap. XXV. v. 31.; *Ite maledicti in ignem aeternum;* Ergo etc.

§. 544. Objic. Nequit intelligi quomodo animae spirituales, et Doemones ab igne corporeo in Inferno torqueantur; Ergo non in sensu proprio, sed metaphorico accipienda sunt, quae de igne infernali leguntur in Scripturis; adeoque etc.

§. 545. R. neg. consm. Ex quo occultum sit, et ignoretur praecise, qua ratione ab igne materiali animæ in inferno torqueantur, deduci nequit, verum ignem in Inferno realiter non ardere. Quis namque explicavit perfecte, quomodo anima, quae est spiritualis, agat in corpore, et corpus materiale suis motibus animæ volitionibus correspondeat, et ita quidem ut læso corpore, doleat anima? et tamen non ideo negatur aut animam esse spiritualem, aut cum corpore agere. Cur ergo, cum Augustino (Lib. XXI. de Civit. Dei Cap. X.), *non dicamus, quamvis miris, veris tamen modis, etiam spiritus incorporeos pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?* Nam, *quamvis ille ignis*, ait S. Bernardinus Senensis (Tomo II. Serm. II. art. 3. Cap. 3.); *cum sit corporeus, naturaliter agere non possit in spiritum, calefaciendo; agit tamen in ipsum ut instru-*

mentum divinæ justitiæ. Et talis dolor maximus est tum propter potentiam divinæ majestatis ignem illum moventis; tum propter sensibilitatem patientis: tum propter immediationem conjunctionis. Non ergo negandum est, ignem Inferni esse realem, ex quo nequeat intelligi quomodo ab eo torqueantur spiritus, cum Sacrae literae clare doceant talem esse (§. 543.) (1).

CAPUT VII.

De Purgatorio

§. 546. Purgatorium quid sit, jam diximus (§. 524.); An autem revera sit, diversae sunt.

Auctorum sententiæ.

§. 547. Plures non modo ex Veteribus, verum etiam ex Recensioribus adversus Purgatorii existentiam decertarunt; præ cæteris vero Wiclefus, Calvinus, et novissime Volney. Primus namque (Proposit. 25. damnata a Concil. Constans.) asssserere non est veritus, preces pro mortuis, et Purgatorium ignem, esse inventum avaritiæ Sacerdotum. Secundus ita declamat (Lib. III. Instit. c. q. n. 61.): *Purgatorium esse exitiale Satanæ commentum, quod Christi Crucem extenuat etc.* Tertius tandem (2) Purgatorium ridet veluti quid penitus fabulosum,

---

(1) *Legantur* Siuri *de Novissimis Tract.* XX. *XXI.* Manstrius *Disput. XXVI. q. I. art. 2.* Bernardus a Bononia *Lib. II. Inst. Theolog. Tract. IX. q. 3.* Tournely *Tom. II. p. 2, q. XI. art. 2. et 3.*

(2) *In Opere impio, cujus titulus est.* Le Rovine ossia Meditazioni sulle Rivoluzioni degl'Imperi. *Melius* La Rovina della Religione, e delle Anime.

sed opportune a Presbyteris promotum ut redditibus mortuorum ditarentur. Verum omnes Catholici, Purgatorium tuentur. Et juste quidem, ut infra patebit. Interim pro majori dicendorum claritate tria hic tamquam certa, atque explorata habenda sunt.

§. 548. Primum nempe: dari aliqua peccata levia, quae licet Charitatis fervorem imminuant, amicitiam tamen cum Deo minime destruunt. Nam dicitur in Scripturis (Proverb. Cap. XXIV.): *Septies in die cadit justus*; et (Jacobi Cap. I.): *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum vero cum consumatum fuerit, generat mortem.* Jam vero clarum est, justum neque septies cadere mortaliter; neque omne peccatum ab hominibus perpetrari, quod consumatum sit; adeoque etc.

§. 549. Secundum: In impii justificatione sive per Sacramentum Poenitentiae, sive per Contritionem perfectam, licet deleatur reatus culpae, et remittatur poena aeterna peccato mortali debita, non semper tamen tollitur omnis poena temporalis, ut proinde nihil Divinae justitae satisfaciendum supersit. Nam Adam eductus fuit a delicto suo, et ab aeterna morte liberatus, poenis tamen corporalibus expers non fuit. David condonationem patrati adulterii, et homicidii obtinuit; dixit namque ei Nathan (II. Regum Cap. XVI.): *Dominus transtulit peccatum tuum*; attamen a poena temporali liber non fuit; filius enim, qui ei natus fuerat mortuus est. Nos pariter Sacramento Baptismatis a peccato originali, atque ab aeterna morte liberamur, mala vero temporalia non evadimus.

§. 550. Tertium tandem: Non omnes justos ex hac vita discedere, habentes animam ab omni macula purgatam, et ab omni reatu poenae liberam. Nam cum justus septies in die, hoc est saepius, venialiter cadat, aut plenam pro peccatis remissis satisfactionem

Deo dare teneatur, si evenit, ut vel improviso moriatur, vel antequam complete satisfecerit, ipse proculdubio secum feret peccata venialia, et reliquias peccatorum mortalium, pro quibus satisfacere debet. Quibus positis, sit modo.

PROPOSITIO I.

Datur Purgatorium.

§. 551. Probatur 1. ex Scripturis. Etenim apud Isaiam legitur (Cap. IV.): *Purgabit Dominus sordes filiorum, et filiarum Sion. . . . in spiritu judicii, et spiritu combustionis*, quibus verbis Purgatorium designari docet Augustinus (Lib. XX. de Civit. Dei Cap. 25.). Deinde Tobias dixit Filio suo (Cap. IV.): *Panem tuum, et vinum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare cum peccatoribus.* Jam vero per hoc volebat Tobias animabus mortuorum opem ferri; Ergo etc. Rursus in Libro Machabaeorum (Cap. XII.) habetur: *Sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur*; Atqui nonnisi animae, quae sunt in Purgatorio a peccatis solvi possunt; ergo datur Purgatorium. Tandem Christus apud Matthaeum (Cap. XII.) dixit esse quaedam peccata, quae *non remittentur in hoc sæculo, neque in futuro*; per hoc ergo datur intelligi, ait S. Gregorius (Lib. IV. Dialog. Cap. 19.); *Quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse relaxari;* adeoque etc.

§. 552. Prob. 2. ex Conciliis; et pro omnibus sit Florentinum, quod in Decreto Unionis, statuit: *Si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, et de omissis, eorum animas pœnis Purgatoriis post mortem purgari etc.* (1).

(1) *Videatur etiam Trident. Sess. 25. et Sess. 6. Can. 30.*

§. 553. Prob. 3. ratione Theologica. Multi justi ex hac vita discedunt vel cum peccatis venialibus nondum purgatis, vel cum reliquiis mortalium peccatorum, jam remissorum (§. 549.); Ergo hi neque in Paradisum, neque in Infernum deducentur; non in Paradisum, quia cum non ingrediuntur nisi animae perfecte purgatae (§. 477.); *nihil namque coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum* (Apocal. Cap. XXI. v. 27.); non in Infernum, quia ibi animae praescitorum descendunt; Ergo in aliquo loco tertio sint oportet. Atqui in loco isto purgari debent a maculis, et Divinae justitiae pro poena temporali in vita non soluta, satisfacere; Ergo sunt in Purgatorio; adeoq. etc. (1).

Argumenta adversariorum solvuntur.

§. 554. *Objic.* In Sacra Scriptura duo tantum loca assignantur; aeterna nempe vita pro justis; aeternum supplicium pro reprobis; Ergo nullus datur locus tertius qui Purgatorium vocatur; adeoque etc.

§. 555. R. Duo tantum loca pro receptaculis animarum post mortem assignantur quidem, sed post finale Judicium, non vero in praesenti statu, sicuti ostensum est (§. 495. et seq.).

§. 556. *Contra.* Atqui etiam in praesenti statu duo tantum sunt praedicta loca; Ergo n. r. Prob. subsm. Anima ubi post mortem ceciderit, ibi erit; legitur namque in Scriptura (Sapient. Cap. XI.): *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, ibi erit;* Ergo etiam etc.

§. 557. R. Laudato testimonio non excluditur Purgatorium. Nam ibi sermo est de sorte consu-

---

(1) *Vid.* S. Bonaventura *Breviloquii Part. VII. Cap.* 2.

mata defuncti, quae immutari nequit. Jam vero sors justi non immutatur, etiamsi sit in Purgatorio; in loco enim salvationis, et ad Austrum est justus, ibique profecto erit, ad tempus nempe in loco purgationis, in aeterna tabernacula in Coelis assumendus.

§. 558. *Contra.* Atqui omnino nullus locus purgationis datur, sed illa duo tantum; Ergo a capite argum. Prob. min. subs. Purgatorium est locus tormentorum; Atqui animae justorum, cum ex hac vita discedunt, ad quietem vocantur: *Amodo enim dicit eis spiritus, ut requiescat a laboribus suis* (Apocalyp. Cap. XIV.); Ergo etc.

§. 559. R. Laudato in loco sermo est de illis, qui tempore Antichristi ingentes persequutiones, atque labores pro Domino substinebunt; unde in perfecta charitate existentes, et igne tribulationis vitae praesentis ab omni macula purgati, quinimo meritis onusti, palmis, et coronis ornati, discedunt. His utique dicetur, ut ex eo tempore, mortis nempe, a laboribus requiescant in Coelis; digni namque sunt qui aeterna felicitate fruantur post tot aerumnas, tam patienter pro Domino superatas, et bona opera patrata, quae illos sequuntur (1).

§. 560. *Objic.* II. In Ecclesiaste (Cap. X. v. 6.) legitur: *Non habent partem mortui in hoc sæculo, et in opere, quod sub sole geritur.* Ex quibus sic: Si existeret Purgatorium quale admittitur a Catholicis, mortui haberent partem in hoc saeculo; quippe suffragiis vivorum adjuvari possent; Atqui ex allata auctoritate, mortui non habent partem in hoc sæculo; Ergo etc.

---

(1) *De Purgatorii existentia adversus Hæreticos, aliosque Incredulos fusius agunt* Bellarminus *Tomo II. Controv. III. duobus Libris.* Boucat *Tomo I. Theolog. Patrum Dissertat. IV. art. 8.* Manstrius *Disput. XXIV. art. 1.* Carolus Franciscus a Breno *Tomo I. Lib. 1.*

§. 561. R. admitt. auct: dist: maj: haberent partem in opere, quemadmodum omnes alii homines viventes, qui physice et ex propriis viribus operantur, n. maj; ex charitate viventium, qui eis pia opera quae agunt in suffragium applicant; conc: maj:, et dist: min: quia viventium suffragiis adjuvantur, conc:, secus n. min; et consam. Qui ex hoc saeculo discendentes in Purgatorium descendunt, cum non amplius sint in statu operandi ad meriti augmentum, sed quales erunt cum mortui sunt, tales remaneant, propterea recte dicitur, quod ipsi partem non habent in præsenti saeculo. Hoc autem nihil vetat quominus ipsi a fidelibus, ex charitate, suffragiis adjuventur.

§. 562. *Contra*. Atqui nullimode mortui habent partem in saeculo; Ergo n. r. Prob. subm. Ezechielis (Cap: XVIII., v. 21.) habetur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis . . . omnium iniquitatum ejus non ricordabor*. Quibus positis, en argm. Per pœnitentiam omnia peccata delentur; Sed qui essent in Purgatorio utpote justi, egissent pœnitentiam; Ergo nullum peccatum in ipsis remansit quod purgatione opus haberet; Ergo nullimode etc.

§. 563. R. admitt auct: dist: sensum ipsius. Per pœnitentiam etc., quoad culpam mortalem, et pœnam æternam, conc:, peccatum quoque veniale, et pœnam temporaneam, n. maj:, et dist: min: Sed etc: quæ uti Sacramentum tolleret ab eo pænam æternam, conc: tolleret quamcumque aliam pœnam ignosci solitam, uti satisfactoriam ad tempus: n. min; Ergo etc: n. consm. In Impii justificatione etc: (§. 548. per totum) Quare licet justi pœnitentiam egerint, et Sacramentum ipsum Pœnitentiæ susceperint, adhuc tamen debita habent, quæ in Purgatorio solvant.

§. 564. Contra. Atqui nihil in justis prorsus est, quod eos Purgatorio dignos efficiat; Ergo stat argm. Prob: subsm. Qui in gratia moriuntur, sunt pro-

fecto in Christo Jesu; Atqui ex Apostolo (Rom: XIII. v. 1.): *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*; Ergo etc.

§. 565. R. admitt: auct:, in sensu tamen explicando. S. Paulus laudato in loco non loquitur proprie de iis, qui cum sint per gratiam sanctificantem in Christum, ex hac vita discedunt; sed proprie de illis qui sacro fonte regenerati, atque in Christum baptizati, Christum induunt, in Christo sunt atque in illo inveniuntur; in iis namque ait nihil manere damnabile, quia non solum omne peccatum per Baptisma susceptum est penitus ab anima deletum, sed quia motus ipsi concupiscentiæ, qui remanent in homine baptizato, et justificato damnationem aliquam non inferunt. Quod si laudata Pauli verba extendere etiam velimus ad justos, qui sunt in Christo Iesu, et ex hoc Mundo discedunt, optime intelligi potest hoc sensu; nempe nihil damnationis esse in iis qui sunt in Christo, et in actu quo moriuntur sunt perfecte purgati, et nihil eis superest luendum, non autem eis, qui cum peccatis venialibus discedunt, aut priusquam debitam temporaneam satisfactionem in hac vita dederint de mortalibus rite confessis; Adeoq.

PROPOSITIO II.

Animæ in Purgatorio degentes duplici pœna torquentur; pœna nempe Damni, *et pœna* Sensus.

§. 566. Probatur prima pars. Animae in Purgatorio degentes intuitiva Dei visione privantur; Atqui in privatione ista, uti docent Patres, et Theologi consistit Pœna damni; Ergo etc. Probatur maj. Visio beatifica stare nequit cum macula, atque tristitia; Nam qui ea gaudet jam supponitur perfecte purgatus (§. 559); quare adimpletur lætitia, et torrente divinae voluptatis potatur; imo satiatur

plene objecto illo beatifico, atque in illud transformatur, juxta illud Joannis (I Joan. Cap. III. v. 2.): *Similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est*; et D. Pauli ad Corinthios (Epist. II. Cap. III. v. 18.): *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur*; Atqui animæ in Purgatorio degentes, tristitia afficiuntur, et pœna ut Deo satisfaciant pro reliquiis peccatorum, et ab omni macula culpæ venialis purificentur; Igitur beatifica visione etc. Adeoque etc.

§. 567. Probatur 2. Pars. Animæ ideo in Purgatorio detinentur ut pro venialibus satisfaciant, et pœnitentiam compleant, quam in vita non impleverunt; Atqui hoc nonnisi sensibili pœna obtinetur; Ergo pœna sensus, et quidem ab igne materiali, afficientur: Nam; *Ordo Divinæ justitiæ exigit, ut Spiritus ab igne materiali habeat puniri; ut sicut secundum ordinem naturæ anima unitur corpori, sic uniatur igni materiali secundum ordinem justitiæ ut punibile punienti, a quo suscipiat poenam*. Hæc Seraphicus Doctor (In Breviloq. Parte 1. II. c. 2.).

§. 568. *Schol*: Jam vero quanta sit, et quam gravis ista pœna, novit Deus. Communis omnium Doctorum sententia est, eam graviorem esse quacumque temporali pœna, quæ in hoc Mundo pati unquam possit (Vide Manstrium Disp. XXIV. q. 2. art. 2.). Unde S. Augustinus (De Pœnit. D. 9. c. ult.): *Gravius est*, inquit, *esse in Purgatorio ad ictum oculi; quam quidquid pœnæ in hac vita possit excogitari*.

PROPOSITIO III.

Animæ in Purgatorio degentes certæ sunt de futura beatitudine.

§. 569. Probatur. Nam quælibet anima in actu separationis a corpore, particulare sustinet judicium, quo poena ei decernitur, vel præmium (§. 489.); Egressæ proinde animæ a corpore, sciunt ubi sunt, in loco nempe damnationis æternae, vel salutis. Cum ergo animae in Purgatorio sciant se non esse a Deo in Tartarum Daemonum damnatas, sed in gratia, et amicitia Dei permanere, certae procul dubio sunt earum pœnas aliquando finituras, seque ad aeterna gaudia avolare.

PROPOSITIO. IV.

Animæ in Purgatorio degentes nec mereri, nec peccare possunt.

§. 570. Probatur. Nam uti in Ecclesiaste (Cap. IX.) habetur: *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem*; hoc est, ait S. Hieronymus (In hunc loc.): » Donec vivunt homines possunt » fieri justi, post mortem vero nulla datur boni ope» ris occasio . . . . . nec justi possunt agere, nec » virtutes adjicere, nec vitia » (1). Ergo etc.

(1) *Vide alia apud* Bellarminum *Lib. II. de Purgat. Cap.* 2.

PROPOSITIO V.

Animabus in Purgatorio existentibus vivorum fidelium suffragia prosunt.

§. 571. Probatur. In Libro II. Machabaeorum legitur (Cap. XII. v. 46.): *Sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*; Ergo etc. Et sane, ait S. Isidorus (Lib. I. de Officiis Divinis Cap. 18.): » Nisi Catholica Eccle-» sia crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non » pro eorum spiritibus vel eleemosinam faceret, vel » Deo sacrificium offerret. *Unde*. Non temere ab » Apostolis, *ait* Chrysostomus (Hom. 41. in Epist. » I. ad Corinth.), haec sancita fuerunt, ut in tre-» mendis mysteriis Defunctorum agatur commemora-» tio; sciunt namque inde multum illis contingere » lucrum, utilitatem multam. *Quare*: Non sunt » praetermittendae, *monet Augustinus* (Libro I. de » cura pro mortuis.), supplicationes pro spiritibus » mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chri-» stiana, et Catholica societate defunctis suscepit » Ecclesia » (1). Ergo etc.

TRACTATUS VI.

De Indulgentiis.

§. 572. Deus, qui Omnipotentiam suam parcendo maxime, et miserando manifestat, sicuti neminem volens in Inferno aeternaliter cruciari, per salutaria remedia, et Sacramenta homines sibi reconciliat,

---

(1) *Vide Auctores citatos*, (§. 301.) *Quibus adde Consterum in Enchirid. Controv. de Purg. Prop. 7. S. Thomam in Suppl. q. 67. art. 2. et 6.*

atque adversus hostes visibiles, et invisibiles armis suæ virtutis munit, et protegit; ita neminem in se sperantem reconciliatum nimium affligi permittens in hac vita, aut post mortem piacularibus flammis exuri, multiplicat supes nos misericordiam suam, et per merita dilectissimi Filii sui, ejusque SS. Genitricis Mariæ, aliorumque Sanctorum, liberaliter indulget de poenis temporalibus ad satisfaciendum post mortalis culpae condonationem relictis, quod humana fragilitas non sustinet. Vere misericordiarum Pater, pius, clemens! Nunc ergo de Thesauro isto Divinae largitatis agentes, ejus existentiam, atque naturam explanabimus; necnon omnia quae ad ejus valorem, concessionem, applicationem, et usum scitu necessaria sunt, breviter exponemus.

CAPUT I.

De Indulgentiæ, ac Jubilæi nomine, atque natura.

§. 573. *Animad*: Indulgentiae vocabulum a verbo *indulgeo* derivatur. Duplici autem sensu usurpatur, *pro condescendentia* nempe; veluti cum Apostolus scribit ad Corinthios (Epist. I. Cap. VII.): *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*; et pro *remissione*, ut cum apud Isaiam dicitur (Cap. 61.): *Prædicare captivis indulgentiam*, nempe *remissionem*, uti habetur in Evangelio S. Lucae (Cap. IV.).

§. 574. *Def.* Indulgentia ergo: *Est remissio pœnae temporalis debitæ pro peccatis actualibus, quoad culpam jam remissis, facta extra Sacramentum ab habente facultatem per applicationem Thesauri Ecclesiae.*

§. 575. *Coroll:* Indulgentia itaque neque culpa mortalis, aut venialis, neque pœnæ aeternae reatus tollitur; aut poena, quae pro delictis in foro con-

tensioso sive seculari, sive Ecclesiastico infligi solet, condonatur, sed solum poena illa temporalis remittitur, quae aut injuncta est, aut secundum Sacros Canones foret vere poenitenti injungenda. Unde falleretur quicumque existimaret, per Indulgentiam sibi condonari peccata, atque aeternam poenam remitti absque Sacramento Poenitentiae, vel saltem contritione perfecta (Vid. Bellarminus Lib. I. de Indulg. Cap. 7.).

§. 576. *Animad.* Jubilaei nomen non ab uno Hebraeo vocabulo derivari, docent Theologi. Quidam enim cum Lyrano, et Turrecremata, a voce *Jobel*, quae idem est ac *Buccina*, derivatum dicunt, eo quod Buccinae sonitu Hebraeorum Jubilaeus indicebatur. Alii cum Bellarmino a verbo *Jubal*, quod significat *producere*, seu *germinare*, volunt derivari quia illo anno quinquangesimo, qui sacer, et Jubilaeus erat, terra absque operariorum labore, et cultura de se germinabat herbam, et fructus producebat.

§. 577. *Def.* Jubilæus proprie nihil aliud hic est, quam *Annus*, *quo visitantibus certas Ecclesias et certa pia opera facientibus*, *Indulgentia plenaria conceditur*, *cum facultatibus circa absolutionem a peccatis*, *et censuris reservatis*, *et circa commutationem votorum* (Videat. P. Viva de Jubilæo).

§. 578. *Coroll.* Indulgentia ergo in hoc differt a Jubilæo, quod huic habentur annexa privilegia, absolvendi scilicet a casibus, et censuris reservatis, commutandi vota etc.; non sic autem illi (§. 573.). Verum dantur ne dictæ Indulgentiae.

Dissidium est inter Auctores.

§. 579. Sane quamvis ex doctrina Indulgentiarum maximum solamen humana infirmitas suscipiat, eam tamen irrident atque aspernantur, veluti superstitionum inventum, Christo, ejusque Ecclesiæ inju-

riosum Hæretici non pauci. Ac primi quidem, qui dixerunt Indulgentias nihil valere, fuerunt Valdenses, vulgo *Pauperes de Lugduno*. Hos postea sequuti sunt Vicclefus, Hussitæ, Lutherus, Calvinus, Zuinglius, eorumque sectatores. Contra quos Catholici omnes decertant.

PROPOSITIO

Indulgentiam pœnitentibus concedere, ab ipso Apostolorum tempore fuit in usu.

§. 580. Probatur. Nam ex Epistola secunda ad Corinthios (Cap. II. v. 6. 7.) patet, Apostolum Paulum remisisse incestuoso Corinthio partem pœnarum justitiæ Divinæ debitarum; ait siquidem: *Sufficit illi, qui ejusmodi est objurgatio hæc, quæ fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis, et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur . . . Cui autem aliquid donastis, et ego. Nam ego quod donavi, si quid donavi; propter vos in persona Christi.* Ergo etc.

CAPUT II.

De spirituali Ecclesiæ Thesauro, ejusque dispensatoribus.

§. 581. *Def.* Thesaurus spiritualis Ecclesiæ nihil est aliud, quam *maximus quidam, et inexhauribilis cumulus meritorum, et satisfactionum, quæ a Christo Domino, ejusque vivis membris superfuerunt, et in acceptatione, memoriaque Divina servantur, et in utilitatem Ecclesiæ membrorum erogari possunt per legitimam Indulgentiarum concessionem.*

§. 582. *Schol*: Thesaurus porro iste constat in primis ex meritis, et satisfactionibus Christi, quae

sunt valoris infiniti; deinde ex meritis B. Mariae semper Virginis, atque aliorum Sanctorum, qui plus passi sunt quam eorum peccata requirerent. Ex superfluentibus ergo meritis, et satisfactionibus Christi Domini, atque ex superabundantibus passionibus, et operibus tum Sanctissimae Dei Genitricis, tum omnium Sanctorum, Thesaurus iste Ecclesiasticus efformatur, atque emergit.

PROPOSITIO I.

Extat revera in Ecclesia spiritualis Thesaurus.

§. 583. Probatur 1. Christus, ut Homo Deus, est persona infinita; ergo ejus merita et satisfactiones sunt infiniti valoris; Atqui quod infiniti valoris est, exhauriri nequit; Ergo Thesaurum inhexauribilem reliquit Christus Ecclesiae suae. Deinde Christus, quia innocens, et Sanctus, pro se non indigebat ulla satisfactione; totum ergo pretium sui sanguinis dedit in redemptionem hominum; passio itaque, et mors Christi, non solum sufficiens fuit homini redimendo, sed superabundans; Atqui ex hac superabundantia constat Thesaurus Ecclesiae (§. 582.) ergo etc. Tandem *Christus pro omnibus mortuus est, estque propritiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* (I. Joan. Cap. 2. v. 2); Atqui non omnibus reipsa applicatur pretium mortis Christi ad expianda peccata, quia maxima pars hominum aeternae damnationi est addicta, juxta illud (Matth. Cap. XX.): *Multi sunt vocati; pauci vero electi*; ergo multum de illo pretio remanet, quod semper applicari potest, et quantumlibet applicetur, semper redundabit. Ergo etc.

§. 584. Probatur 2. Virgo Deipara nullum attuale peccatum neque mortale, neque veniale commisit; imo neque originale contraxit; de ipsa enim ait

Salomon in Canticis (Cap: IV.): *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*: Maria Virgo itaque nulla indiguit satisfactione pro seipsa; Atqui permulta passa est pro Dei gloria in exercitio Divinae maternitatis, atque plus meruit, quam omnes creaturæ simul sumptæ; ergo quod illi superabundat Thesaurum Ecclesiæ ingreditur. Tandem alii SS. permulti plus laboraverunt, et passi sunt, ac requiritur ad satisfaciendum pro seipsis: Quid passi non sunt Job, Elias, Eliseus, Isaias, Hieremias, Ezechiel, et alii non pauci Veteris Testamenti sive Patres, sive Prophetæ? Et tamen ipsi erant sanctissimi viri, qui tantis tribulationibus probari non merebantur. Quid non meruit S. Joseph exercendo dignitatem veri Sponsi BB. Virginis Mariae et Patris putativi Christi Domini? Quid non fecit S. Joannes Baptista, quidve passus non est? et tam innocens erat, et in matris utero sanctificatus: Quid non fecerunt Apostoli, aut quid laborum, et tribulationum non sustinuerunt pro fide per universum Orbem stabilienda? Quae, et quanta Martyres Domini passi non sunt, quod mensuram excederet satisfactionis pro se dandae? Quid non fecerunt tot innocentes Virgines; tot Ordinum Fundatores incliti? multum quidem per omnem modum excedit quod facere debuissent ad satisfaciendum pro seipsis. Hic porro excessus, in Thesauro Ecclesiæ reconditur; Adeoque etc.

PROPOSITIO II.

Spiritualis Thesaurus ita est Ecclesiæ concreditus, ut illius bona in favorem fidelium distribuere possit.

§. 585. Probatur 1. Apud S. Matthæum ait Christus (Cap. XVIII. v. 18.): *Quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in Caelo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in Cælo;*

Atqui *alligare* super terram, nihil aliud significat quam, aut non remittere peccata, aut opera laboriosa pro peccatis imponere; solvere vero, aut remittere peccata, aut relaxare aliqua ex parte opera laboriosa pro peccatis remissis debita; Ergo etc. (Vid. Estius in Lib. IV. Sent. Dist. 20. §. 2.).

§. 586. Prob. 2. ex Concilio Tridentino, ubi legitur (Sess. XV. in decreto de Indulg.): *Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit; Sacro-Sancta Synodus. . . . eos anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.*

Objectiones adversariorum solvuntur.

§. 587. *Objic.* Nullus datur Ecclesiæ spiritualis Thesausus, ex passionibus Christi constans, si Christus pro suis passionibus completam a Deo recepit mercedem; Atqui res ita se habet, dicente Apostolo (Ad Philip. Cap. II., v. 8.): *Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem . . . propter quod et Deus exaltavit illum etc.*; Ergo etc.

§. 588. R. Passiones Christi quatenus meritoriæ erant, aliquod præmium a Deo Patre obtinuerunt, gloriam nempe corporis ejus, et nominis exaltationem; sed ut satisfactoriae, ipsi supervacaneæ fuerunt, quia peccatum non fecit, nec proinde satisfactione aliqua indigebat (§. 583.); quare in Ecclesiæ Thesauro repositæ sunt.

§. 589. *Contra.* Atqui Christi passiones, etiam uti satisfactoriæ, completam mercedem receperunt, ut proinde nihil amplius superfuerit pro prætenso Ecclesiæ Thesauro; Ergo n. r. Prob. subs. Christus passionibus suis Divinæ justitiæ pro peccatis totius Mundi satisfecit; Atqui peccata lethalia, uti offensa infinitæ Majestatis, continent malitiam infinitam; ergo pretium infinitum pro illis Christus solvit; Adeoque etc.

§. 590. R. Ad delenda omnia totius Mundi peccata, Christi Domini passiones, non solum sufficientes sed superabundantes fuerunt. Nam cum quaelibet Christi passio, utpote personae infinitæ, sufficiens fuisset ad expiandas omnes culpas lethales, et pœnas pro eis debitas; cumque innumerabiles fuerint Christi passiones hujusmodi, semper superest pretium, et quidem superabundans, quod Ecclesia ad nostra debita solvenda applicare potest.

§. 591. *Objc.* 2. Thesaurus spiritualis, qui defenditur, injuriam facit Christo; Ergo non est admittendus. Prob. ans. Miscere simul merita Christi, et merita Sanctorum est injuria Christi; atqui hoc fit pretenso Ecclesiae Thesauro; Ergo etc.

§. 592. R. Tunc injuria Christo inferretur si ejus merita, et satisfactiones eodem in ordine, et gradu ponerentur cum meritis et satisfactionibus Sanctorum; At non est ita. Quamvis enim Ecclesiae Thesaurum constare dicimus ex meritis Christi, et Sanctorum, dicimus pariter, merita et satisfactiones Christi esse valoris infiniti, non sic autem Sanctorum, quae sunt valoris finiti; Christum per se meruisse, et satisfecisse, Sanctos vero nonnisi per Christum; Christi merita ad remissionem pœnae temporalis concurrere ut causa primaria, et principalis, illa vero ut secundaria, et prout a Christo efficaciam habent. Nulla igitur injuria Christo infertur admittendo Thesaurum Ecclesiæ.

§. 593. *Contra.* Atqui semper injuria Christo infertur, licet Christi satisfactiones in alio ordine, ac illae Sanctorum collocentur; ergo n. r. Prob. subsm. Merita, et satisfactiones Christi sunt infiniti valoris; Ergo non debent eis adjungi merita, et satisfactiones Sanctorum; sed adjunguntur; Ergo semper etc.

§. 594. R. neg. utramque consm. Merita namque, et satisfactiones Sanctorum, non ideo meritis, atque satisfactionibus Christi adjunguntur, quasi ne-

cessariæ ut hae suum sortiantur effectum; non equidem. Sunt enim hae satisfactiones infiniti valoris, de se proinde sufficientes abunde ad remissionem omnium culparum, et poenarum; adjunguntur ergo, ne sint inanes, et otiosae coram Deo, et tot laborum fructus pereant (1).

PROPOSITIO III.

Summus Pontifex potest quascumque Indulgentias in tota Ecclesia concedere. Alii vero Prælati non ita.

§. 595. Nam concedere Indulgentias quascumque est actus supremae jurisdictionis; Atqui Summus Pontifex jurisdictionem habet in universam Ecclesiam (§. 43.); Ergo etc. Quare Clemens VI. (In Extravag. Unigenitus de Pœnit.), sic loquitur: *Unigenitus Dei Filius . . . Thesaurum militanti Ecclesiæ adquisivit . . . . Quem quidem Thesaurum . . . per B. Petrum Cœli clavigerum, ejusque successores, suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum ex propriis, et rationalibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitae tam generaliter, quam specialiter, (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere pœnitentibus, et confessis misericorditer applicandum.*

§. 596. Prob. 2. pars. alii Prælati, Episcopi nempe, ac Metropolitani non possunt omnibus, et quascumque Indulgentias concedere, sed solum Indulgentias partiales, atque illi solum in propria Diœcesi

(1) *Videat.* Bellarminus *Lib. I. Cap. IV.* de *Indulg.* Antoine *Tomo II. Append. de Indulg. q. 2.* Estius *in IV. Sentent . . Dist. 20.* §. *5.* Tournely *Tomo IX. de Sacr. Pœnit. q. ult. art. 3.*

isti in tota Provincia, in his namque habent jurisdictionem. Idipsum facere possunt Cardinales ex tacita concessione Summi Pontificis. Legati vero, et Nuntii Apostolici ex speciali, vel generali commissione Summi Pontificis, in omni loco, ad quem suae legationes se extendunt, Indulgenties concedere possunt.

PROPOSITIO IV.

Ad concedendam Indulgentiam justa causa requiritur.

§. 597. Probatur. Nam Pontifex, et Episcopi sunt non solum, ex Apostolo (I. Corinth. Cap. IV.), *Dispensatores mysteriorum Dei*; sed ex D. Petro (Epist. I. Cap. IV): *Boni dispensatores multiformis gratiae Dei*; Atqui bonus dispensator, Thesauros Domini sui, non temere, et pro lubitu, sed prudenter, et rationabili ex causa dispensat, alias non dispensator esset, sed dissipator; Ergo ad concedendam etc. Deinde Dominus ratam habere non potest sui Thesauri direptionem, aut dissipationem, sed nullam reputat; Ergo Deus nec ratam habet, nec approbat Thesauri Ecclesiae dispensationem, Indulgentiam nempe, quoties absque justa causa conceditur. Adeo etc. Quare Tridentina Synodus (Sess. XXV. de Indulg.) haec habet: *In his concedendis moderationem juxta veterem, et probatam Ecclesiae consuetudinem adhiberi cupit Sacrosancta Synodus, ne, nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur.*

CAPUT III.

De multiplici Indulgentiarum varietate.

§. 598. *Animad.* Indulgentia alia est plenaria, et totalis, alia partialis.

§. 599. *Def. Indulgentia plenaria est remissio to-*

tius pœnæ temporalis, peccatis rite confessis debitae. Indulgentia vero partialis est remissio partis tantum illius pœnæ; uti est indulgentia centum annorum, quadraginta dierum etc.

§. 600. *Schol.* Indulgentia alia dicitur *personalis*, alia *localis*, et alia *realis*. *Personalis* est illa quae alicui personae conceditur, eamque comitatur: talis est illa quae conceditur habitum religiosum induentibus in die vestitionis. *Localis* est illa, quae in favorem alicujus loci conceditur, talis est illa quae Templis, vel Oratoriis, ob peculiarem aliquam festivitatem etc., confertur, quamque lucrantur, qui cum debita dispositione illa visitant. *Realis* tandem est illa quae alicui rei, uti Rosario, Coronae, Numismati, Crucifixo etc. est annexa.

§. 601. *Animad.* Inter alias porro locales Indulgentias, celebris est illa, quae vulgo *Portiunculæ* nuncupatur; atque hodie in Universis Seraphici Ordinis Ecclesiis a primis Vesperis Kalendarum Augusti, usque ad secundas Vesperas 2. diei ab universis Christi fidelibus lucrari potest. Celebris inquam; nam et a Christo Domino precibus Divi Francisci fuit immediate concessa; et miraculis confirmata; atque a pluribus Pontificibus, nedum approbata, et ad Ecclesias Universas Ordinis Franciscani extensa, sed summis laudibus celebrata, magnoque in pretio habita. Circa eam tamen variae sunt.

Auctorum sententiæ.

§. 602. Quamvis hæc Indulgentia fere in omnibus Terrae partibus hodie nota sit, et ubique fideles ad eam lucrandam concurrant, nihilominus, ore impio Kemnitius bsalphemare est ausus, eam esse impudentissimam fabulam. Nec sine causa, ait optime Bellarminus (Lib. II. De indulg. Cap. XX.) quoniam per historiam de hac Indulgentia, *tria Catholica dog-*

matata confirmatur, *unum de Indulgentiis*, *alterum de Pontifice Maximo*, *tertium de Confessione. Siquidem ad preces S. Francisci Christus ipse plenariam Indulgentiam dedit*; *sed nonnisi per ministerium Vicarii sui Pontificis Maximi dedit*, *nec nisi per contritionem et confessionem a culpa expiatis*, *et eam Ecclesiam visitantibus dedit*. Non defuerunt insuper alii, quihujus Indulgentiae existentiam negare non valentes, eam una tantum vice, et non *toties quoties* lucrari posse aggressi sunt sustinere. Irrito tamen sempe conatu. Unde sit.

PROPOSITIO

Indulgentia Portiunculæ toties quoties *a Christi fidelibus*, *bene dispositis*, *lucrari potest.*

§. 603. Probatur. Nam haec Indulgentia ita petita fuit, et obtenta a Seraphico P. S. Francisco. Legitur quippe (In Breviar. Francisc. die 2. Aug.): quod *supplex petiit*, *ut omnibus Ecclesiam illam introeuntibus concedet veniam*, *et indulgentiam omnium peccatorum suorum*, *quorum confessionem sacerdoti fecissent. Respondit Dominus*, *id sibi placere: præcepitque illi*, *ut ejus Vicarium adiret*, *et ab eo suo nomine illam Indulgentiam postularet*; quod et fecit, et obtinuit. Nam sequitur; *intelligens Pontifex divinam voluntatem*, *concessit eam B. Francisco plenariam quidem*, *et liberam*, *ac perpetuam*, *sed unius dumtaxat diei naturalis cujuscumque anni*, *hoc est a Vesperis Kalendarum Augusti usque ad Vesperas sequentis diei*. Sanctus ergo Franciscus non pro una vice tantumtalem indulgentiam petit, sed in perpetuum; ut *toties* scilicet fidelis cum requisitis conditionibus dictam Ecclesiam visitaret, *toties* indulgentiam lucraretur. Quod si Pontifex Indulgentiam istam generali petitam, restrinxit ad unum

naturalem diem, non ideo hoc privilegio fideles orbavit, ut nempe intra latitudinem illius diei, pluries eam lucrarentur; quippe non mutavit Indulgentiam, sed illam concessit, quam S. Franciscus a Domino petiit, licet, ut diximus restrictam quoad temporis continuationem (1). Deinde praxis communis omnium fidelium, ubique locorum, et Romae existentium; fidelium inquam, non simplicium, aut femellarum, sed Primatum, Magnatum, atque Doctorum, haec est, pluries eadem die Ecclesiam visitare, atque alia necessaria peragere, ut pluries Indulgentiam lucrentur; Adeo ut, licet ab aliquibus reclamatum fuerit, quasi abusus esset pluries eamdem Ecclesiam visitare, nihilominus antiquam consuetudinem nemo mutare potuit; et quamvis super hoc Sacrae Cardinalium Congregationi recursus dati fuissent, Sacra nihilominus Congregatio semper censuit *servandum esse solitum* (Ferraris Verbo Indulgentia Art. V. n. 57.); Ergo etc.

§. 604. *Objic.* 1. Indulgentia plenaria, quilibet fidelis, remissionem consequitur totius poenae temporalis, pro culpis remissis, debitae nihil proinde ei superest luendum; ergo in eadem die, una vice tantum, lucrari potest; Atqui Indulgentia Portiunculae est Plenaria; ergo una vice tantum in eadem die lucrari potest; adeoque etc.

§. 605. R. Indulgentia Plenaria, fideli utique optime disposito, tota poena pro peccatis remissis debita remittitur, at non ideo Indulgentia Portiunculae *toties quoties* lucrari eadem in die nequit; nam ex Summorum Pontificum concessione, cum ea applicabilis quoque sit animabus Purgatorii, eam, licet non pro se pluries, sed modo pro uno, modo pro alia

---

(1) *Leg.* Manstrius *Disp.* 23 *de Indulg. q.* 4. *art.* 2. *n.* 66.

anima applicare potest fidelis, sicque *toties quoties* eam lucrare. Cæterum dici potest; fidelem, etiam pro seipso eodem die pluries Indulgentiam lucrari posse. Cum namque sæpe eveniat, ut nonnulli non integram Indulgentiam adquirant, quia tepide opus injunctum (Ferrar: Append. altera per totum.) exequuntur; et aliunde ad maximam pœnam temporalem pro peccatis commissis solvendam teneantur; repetendo injunctum opus cum fervore, integram Indulgentiam lucrantur.

§. 606. *Objic.* 2. Indulgentiam Portiunculæ si *toties quoties* eadem die lucrari posset, Pontifices id in suis Bullis, atque Decretis expressissent; Atqui non expressisserunt. Ergo etc.

§. 607. R. Falsum omnino est, Pontifices in suis Bullis de Indulgentia Portiunculæ nullo modo expressisse, eam *toties quoties* lucrari posse; nam S. Pius V. in Bulla quæ incipit (1): *Cupientes*, concedens Indulgentiam Portiunculae Ecclesiæ Monasterii, seu Domus S. Mariæ de Angelis Oppidi, seu loci de Ceraluo, ait: *de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere pœnitentibus et confessis, qui dictam Ecclesiam in die Festivitatis Portiunculæ ejusdem S. Francisci, devote visitaverint, et inibi pro fidei catholicæ exaltatione, et hæresum extirpatione pias ad Deum preces fuderint. Quoties id fecerint*, Toties; *plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam Apostolica auctoritate tenore, præsentium misericor-*

(1) *Apud P. Martinum Discalceatum S. P. Francisci in* Opere, *cui titulus* Exposicion de los Fragles Minores *fol. 509. n. 25. Videatur* Anonym. *in Opella Italice edita:* Discorso Apologetico sulla verità dell'Indulgenza della Porziuncola, e maniera di guadagnarsi più volte *pag. 61.*

diter in Domino concedimus. Quod si in aliis Bullis idipsum expressum non fuerit, mirari non debemus. Nam Pontifices aut loquendo de Indulgentia Portiunculæ, aut eam extendendo ad alias Ecclesias, loquuti sunt de ea, atque eam extenderunt, prout in usu erat in Ecclesia Assisii, et in locis ubi erat concessa; Jam vero in usu erat lucrari *toties quoties* (§. 603.); Ergo superfluum erat id expresse declarare (1).

CAPUT IV.

De Dispositionibus, quæ requiruntur ad lucrandas Indulgentias.

§. 608. *Animad.* Cum Indulgentiæ, plenariæ præsertim, divitiæ sint inextimabiles, et omni lapide pretioso, vel margarita desiderabiles, ex inhexauribili Ecclesiæ Thesauro in homines profusæ; cumque scriptum sit (Matth. VII. v. 6.): *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos;* omnino necesse est, ut sicuti sine justa causa, et rationabili, Indulgentia non concedatur (§. 596.), ita in eo qui eas lucraturus est, dispositiones dignæ reperiantur. Jam vero de hoc nulli dubium esse potest; solummodo in his dispositionibus assignandis varietas aliqua invenitur: cum alii plures, alii pauciores assignent: Medium tenebimus.

---

(1) *De Indulgentia Portiunculæ agunt multi; Sed præcipue ex professo* F. Matthias Grovwels in *Libro* Historia Critica Sacrae Indulg. B. Mariae Angelorum, et P. Joseph a S. Florano *in Opere italico, quod inscipsit* Indulgenzà della Porziuncola illustrata.

PROPOSITIO

Ad lucrandas Indulgentias, ex parte suscipientis, tria requiruntur; nempe 1. Status gratiæ; 2. exequutio omnis operis a Pontifice præscripti; et 3. si loquitur de Indulgentia Plenaria, propositum, et sollicitudo, quoad fieri potest, satisfaciendi.

§. 609. Exponitur, et probatur Propositio. Requiritur *status gratiæ*. Nam Indulgentia remittit pœnam temporalem peccatis jam remissis, quoad culpam et poenam æternam; Si ergo nec peccata, nec poena æterna sunt remissa, remitti utique nequit paena temporalis. Quare in Bullis Indulgentiarum, ut plurimum solet apponi clausula illa: *vere pænitentibus, et confessis.*

§. 610. Requiritur 2. *Exequutio omnis operis a Pontifice præscripti*. Nam Indulgentia ea conditione conceditur, si impletur, quod prò ea lucranda præscribitur. Quod vero conditionate conceditur, non obtinetur nisi adimpleta, et verificata conditione. Si ergo integre non exequatur impositum opus pro ea lucranda præscriptum, nihil lucratur.

§. 611. Requiritur 3. *Propositum et sollicitudo quoad fieri potest, satisfaciendi*; Nam Indulgentia adjuvat humanam fragilitatem; siquidem nobis donatur quod fragilitas nostra non sustinet; non vero fovere debet temporem fidelium in satisfaciendo pro peccatis. Unde Gregorius VII. Episcopo Linconliensi Indulgentiam petenti, respondit: *Absolutionem præterea peccatorum tuorum, sicut rogasti, auctoritate Apostolica Petri et Pauli fulti, tibi mittere dignum duximus; si tamen bonis operibus inhærendo commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum Templum exhibueris* » ut appareat (scribit Baronius ista referens » ad ann. 1073.), Sedis Apostolicæ Indulgentias illis

» communicari, qui, quantum suppetunt vires, bene » operari non prætermittunt: non autem ignavis, » otiosis, ac negligentia torpescentibus » (1).

§. 612. Dices. Si hoc verum esset, inutiles certo forent ipsae Indulgentiae Plenariae; Quid namque juvat Indulgentias elargiri, quoties fidelis a satisfaciendi onere non liberatur?

§. 613. R. Utilissimae sunt Indulgentiae, etiamsi homo non totaliter ab onere eximatur satisfaciendi. Nam cum homo multorum peccatorum sarcina gravatur, in cinere, et cilicio, atque jejuniis multis ducere vitam deberet, ut ab se laesae divinae majestati satisfaceret. Nimis ergo durum foret, et laboriosum hoc agere. En Indulgentia qua remittitur ei, quod humana fragilitas non sustinet; uti patet exemplo Corinthii incestuosi, cui Indulgentia concessa est, ne abbundatiori tristitia absorberetur (§. 580.). Revera si omnis qui Plenariam lucraretur Indulgentiam, ab omni penitus onere satisfaciendi foret liber, omnes illi, qui in articulo mortis constituti plenariam Indulgentiam recipiunt, in exitu animae, in Coelum admitterentur, nec ullo suffragio opus haberent; Jam vero Ecclesia consuevit pro illis sacrificia offerre, etc. Igitur etc.

CAPUT V.

De Indulgentiarum applicatione pro Defunctis.

§. 614. *Animad.* Omnes illi, qui ex hac vita disceuunt, vel peccatorum suorum pondere pressi de-

(1) *Videantur* Estius *in IV. Dist. XX. §. VIII.* Ferraris *Verbo Indulgentia Appendice altera*: Antoinè *Theol. Univ. Tomo II. de Indulg. q. 14. Horum autem Doctrina aliis non Placet, sed videtur nimis rigorosa.*

merguntur in Infernum, vel meritis onusti, in Paradisum ab Angelis deferuntur, vel tandem non plene purgati, in Purgatorium detinentur. Porro neque qui sunt in Inferno, neque qui sunt in Paradiso suffragiis, et Indulgentiis adjuvari possunt; non primi, quia sunt extra omnem salutis spem, et veluti palmites praecisi, ad comburendum igni traditi; non secundi, quia nihil habent, quod satisfaciant; sunt enim in plenitudine felicitatis Sanctorum, et Dei. An vero possint Indulgentiae applicari animabus in Purgatorio existentibus, in controversia est positum. Catholici omnes Theologi, si Ostiensem excipias, tenent. Indulgentias animabus Purgatorii applicari posse: licet in assignando modo, quo eis possint prodesse, non conveniant. Verum illi omnes Haeretici, qui Purgatorium negaverunt (§. 547.) omnia pariter suffragia pro animabus ibi existentibus sustulerunt.

PROPOSITIO I.

Animabus in Purgatorio existentibus Indulgentiae possunt applicari.

§. 615. Probatur. Fideles defuncti degentes in Purgatorio, propter unionem charitatis cum Ecclesia militante, fidelibus viventibus ita conjuncti sunt, ut unam Ecclesiam efficiant. *Neque enim* inquit Augustinus (Lib. XX. de Civit. Dei Cap. 9.), *piorum animae defunctorum ab Ecclesia separantur, quae est Regnum Cœlorum.* Si ergo eis fidelium vivorum suffragia prosunt (§. 571.), multo magis Indulgentiae a Summo Pontifice eis applicari possunt, et prodesse.

PROPOSITIO II.

Indulgentiæ non prosunt animabus Purgatorii per modum absolutionis, sed per modum suffragii.

§. 616. Probatur. Summus Pontifex habet potestatem ligandi, et solvendi in Ecclesia in Terris militante, juxta illud Christi (Matth. Cap. XVI.): *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Cœlo;* Atqui animae in Purgatorio non sunt de Ecclesia militante; Ergo Jurisdictioni Pontificis non subjiciuntur; adeoque nequit Pontifex eas absolvere.

§. 617. Prob. secunda Pars. Suffragium est communicatio, et applicatio alienae satisfactionis pro defuncto ad obtinendam ei remissionem poenae temporalis debitae ob peccata, jam quoad culpam remissa. Atqui ita applicantur Defunctis Indulgentiae; uti patet ex pluribus Pontificum declarationibus: *Pontifex namque* (1) *offert Deo ex Thesauro satisfactionum quantum necesse est ad eas liberandas, et Deus acceptans alienam satisfactionem communicatam animabus Defunctorum, eas liberat a reatu illo pœnæ*; ergo per modum suffragii eis prosunt; Adeoque etc.

§. 618. Dices. Nonnunquam defuncti ab Ecclesia excommunicantur; aliquando etiam ab excommunicatione per modum absolvuntur; Ergo etiam per modum absolutionis Indulgentiae possunt Defunctis prodesse.

§. 619. R. Absolutio, vel excommunicatio, quae defunctis ab Ecclesia datur, non terminatur ad defunctos directe, sed ad vivos; quatenus nempe Ecclesia defunctos excommunicando, vetat, fideles pro eis orare vel absolvendo permittit ut fideles pro eis orent, de-

(1) *Ait* Bellarminus *Lib. 1. de Indulg. Cap. 14. q. 3.*

bitoque honore illos prosequantur· Unde allatum argumentum non infirmat propositam thesim.

PROPOSITIO III.

Ex justitia potius quam ex misericordia liberantur animæ, quibus Indulgentiæ applicantur.

§. 620. Probatur. Per Indulgentias, pro Defunctis Deo offeruntur satisfactiones Christi, atque Sanctorum in Thesauro Ecclesiae repositae, atque asservatae; Ergo eas Deus acceptando, animas liberat ex justitia; quia quod illae luere debebant, jam satisfactum est.

§. 621. *Animad.* Potest nihilominus etiam dici, ex misericordia animas liberari, pro quibus Indulgentiae applicantur, quatenus misericordia Dei factum est, ut sit communio Sanctorum, qua fit, ut fideles viventes communicent cum fidelibus defunctis in Purgatorio, et possint eis opitulari, illisque ab Ecclesia spirituales Thesauri applicari.

PROPOSITIO IV.

Ut Indulgentiæ prosint Defunctis requiritur 1. *Suprema auctoritas, et Jurisdictio in concedente*; 2. *ut ille qui eas lucratur sit in gratia, et exequatur opera injuncta ex intentione applicandi Indulgentias Defunctis*; *et* 3. *ut defuncti sint in Purgatorio.*

§. 622. Exponitur Propositio. *Requiritur* 1. *suprema auctoritas etc*: Nam solus Romanus Pontifex, utpote qui supremam habet auctoritatem, et jurisdictionem in universam Ecclesiam potest Indulgentias pro defunctis concedere; Episcopi enim nonnisi partialem habent, et restrictam ad solos viventes Diœcesis.

Requiritur secundo, *ut ille qui eas lucratur sit in gratia etc.* Nam qui non est in gratia, et non implet opera injuncta, sicuti non lucratur Indulgentiam pro seipso (§. 609.), ita nec eam potest aliis applicare (1); Deinde esto Indulgentia etiam Defunctis applicabilis a Summo Pontifice sit concessa, eis tamen non prodest, si qui eam lucrantur, id non faciant animo eam Defunctis applicandi.

Requiritur 3. *ut Defuncti* sint in Purgatorio; Nam Caelicolis, vel in Infernum damnatis, Indulgentiae non prosunt, (§. 614.); nec proinde eis applicari possunt.

CAPUT VI.

De operibus injunctis pro acquisitione Indulgentiarum.

§. 623. Cum Indulgentiae nonnisi justa, et rationabili causa concedi possint (§. 597.). Cumque suscipiens Indulgentias dispositus sit oporteat, et praesertim opera injuncta praestet (§. 610.); de his operibus propterea pauca hic dicere juvat. Porro hujusmodi opera pro acquisitione Indulgentiarum injungi solita, sunt eleemosinæ, peregrinationes, jejunia, visitationes Ecclesiarum; recitatio aliquarum precum, Sacramentalis Confessio, et Eucharistiae perceptio etc.

PROPOSITIO I.

Si Pontifex in concessione Indulgentiæ exigit Confessionem Sacramentalem, omnia opera injuncta in statu gratiae perfici debent.

§. 624. Nam Summus Pontifex tunc conditionate Indulgentiam concedit; Ergo nonnisi verificata conditione Indulgentiam concedere intendit. Ergo si *vere pœnitentibus, et confessis* intelligit concedere Indul-

gentiam, dummodo visitent talem Ecclesiam, ex. gr., vel aliud pium opus exequantur; profecto illius Ecclesiae visitatio, vel illius operis exequutio facta esse debet in statu gratiae.

§. 625. *Animad.* Porro Sacramentalis Confessio cum praescribitur, peragi omnino debet, etiamsi, qui lucraturus est Indulgentias, lethalis culpae conscius sibi non sit; est namque conditio a Pontifice requisita. Hoc tamen pacto, quod necesse non sit, ut quis confiteatur vel in festo, cui adnexae sunt Indulgentiae, vel in vigilia ejusdem, sed sufficiat ut confiteatur in alio quolibet die precedenti, modo consueverit semel saltem in hebdomada, ad Pœnitentiae Sacramentum accedere, et ab ultima confessione rite peracta, nullum lethale peccatum patraverit (1). Quod si praeter Sacramentalem Confessionem, pro lucranda Indulgentia, exigatur Eucharistiae susceptio, haec anticipari nequit, sed in ea die exequi debet, pro qua indulgentia concessa est.

PROPOSITIO II.

Dummodo in concessione Indulgentiæ non exprimatur Confessio Sacramentalis, ad eam lucrandam sufficiet status gratiæ per contritionem, saltem eo instanti, quo ultimum opus injunctum perficitur.

§. 626. *Prob.* Nam status gratiae tunc requiritur, cum Indulgentia applicatur. Atqui Indulgentia applicatur statim ac opus injunctum consumatur, et perficitur; Ergo saltem eo instanti, quo ultimum opus exequitur, debet quis esse in gratia, ut Indulgentiam lucretur.

---

(1) *Ex Dec. Sacræ Congregat. Indulg. die 9. Decem. 1763.*

TRACTATUS IV.

De Exteriori Dei Cultu.

§. 627. Cum Doctrina Revelata homini eo fine data fuerit, ut Deum, quantum in hac vita fas est, cognoscat, atque cognoscendo eum diligat (§. 12. T. I.); cumque Patrum, et Christi Domini ipsius testimonio, operis exhibitio probatio sit non dubia veræ dilectionis, inter alia, quae tironi theologo scitu necessaria videntur, illud est, scire nempe, quo Cultu Deum presequi debeamus, ut eum novisse, et ex corde diligere dicamur. Sit proinde.

CAPUT I.

De adorationis natura, divisione, atque obbligatione.

§. 628. *Def.* Adoratio, ex Damasceno (Orat. III. Cap. IV.), *animi cedentis, atque demissi, et humilis significatio*, ab Angelico Doctore (2. 2. q. 84. Art. I.) definitur: *Actus voluntatis, quo exhibemus alteri reverentiam, propter ejus excellentiam.*

§. 629. *Coroll*: Motivum ergo adorationis est excellentia, quae relucet in aliqua persona; Objectum vero, persona ipsa excellens.

§. 630. *Schol*: Porro excellentia in persona duplex esse potest; *naturalis* nempe, si dona, virtutes etc., quibus aliqua persona excellens est, naturalis sunt Ordinis; *Supernaturalis* vero, si supernaturalis. Adoratio itaque duplex est; *Politica* nempe, si ob excellentiam naturalem alicui præstatur; *Religiosa* vero, si ob excellentiam supernaturalem; hanc Deo, ejusque Sanctis (licet diversimode) exhibemus; illam Principibus, aliisque excellentissimis viris, aut dignitate aliqua in Mundo pollentibus. De supernaturali hic tantum agimus.

§. 631. *Coroll*: Quoniam vero excellentia supernaturalis non est eadem in omnibus; sed in Deo, utpote infinito in omni genere perfectionis, absoluta et infinita, in hominibus vero, et in Angelis nonnisi limitata, et finita, liquido patet, adorationem Deo debitam longissime præstare debere illi, quae aliis tribuitur.

§. 632. *Animad.* Ut autem adoratio vera esse dicatur, tres actus in ea concurrere debent; primus nempe in intellectu, estque apprehensio excellentiæ personae quae adoratur; secundus in voluntate, quo animus erga personae excellentiam bene afficitur; tertius in quibusdam externis signis, qui vel proprio corpore exhibentur, vel externis officiis; veluti genuflexione, inclinatione, capitis detectione, manuum osculatione etc.

§. 633. *Schol*: Quandoquidem vero mensura adorationis ab excellentia personae peti debeat; cumque haec inaequalis sit in aliis personis creatis, ut proinde cultus qui Deo debetur, nulli alio debeatur (§. 631.), recte Theologi triplicem speciem adorationis distinguunt; nempe *Latriæ*, *Hyperduliæ*, et *Duliae*. Per adorationem *Latriae* intelligunt illam, quae Enti tribuitur ratione increatae excellentiae supra alios; per adorationem *Hyperduliæ* eam, quae alicui ob creatam aliquam supernaturalem, sed valde eximiam excellentiam praestatur; per adorationem vero *Duliae* illam, quae alicui exhibetur ob excellentiam supernaturalem quidem, ast non singulari modo renitentem. His notatis sit.

PROPOSITIO I.

Datur Praeceptum Divinum, et naturale colendi Deum actibus tum internis, cum externis.

§. 634. Prob. I. P. ex Scripturis. In Exodo (Cap: XX 4. 5.) ait Deus per Moysen filiis Israel: *Non facies tibi sculptile; neque omnem similitudinem . . . Non adorabis ea, neque coles: Ego sum Dominus Deus tuus.* In Evangelio ait Christus Dominus (Mat: IV 10.): *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*; imo modum præscribens Deum adorandi, dixit (Joan: IV: 23.): *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate.* Ergo etc. Deinde. Deus est Ens, quo melius, atque perfectius excogitari nequit; atque omnes complectitur perfectiones; unde et infinitam habet super omnes excellentiam; Ergo jure naturæ debetur ei adoratio, et cultus; Hinc Jeremias: *Te oportet adorari Domine.* Deinde Lege naturali adstringimur, obsequium, et reverentiam exhibere ei, a quo beneficium aliquod accepimus, ita ut aliter facientes, ingratitudinis vitium non effugiemus. Atqui omne bonum a Deo recipimus, creationem, gubernationem, conservationem etc. Ergo datur præceptum Divinum, et naturale colendi Deum actibus internis.

§. 635. Prob: II. P. quod nempe actibus etiam externis debeamus Deum adorare. Nam, homo anima et corpore constat; ergo non minus illa, quam isto debet Deo exhibere reverentiam. Quare Propheta David (Psal: 94.): *Venite*, ajebat, *adoremus, et procidamus, et ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster; et nos populus pascuae ejus, et oves manus ejus.*

PROPOSITIO II.

Deo Optimo Maximo supremus Latriae cultus debetur.

§. 636. Prob. Excellentia quæ in Deo est, est infinita, atque increata; Sed Latriæ cultus, habenti increatam excellentiam tribuitur; Ergo Deo etc. Quare Apostolus (I. Ad. Tim. I.): *Soli Deo honor, et gloria.*

CAPUT II.

De Sacrificiis, variisque eorum generibus.

§. 637. *Animad.* Inter alia *quae pertinent ad Religionis obsequium, quo colitur Deus, sacrificium certe*, ait S. Augustinus (De Civ: Dei L. X. Cap. VI.), *nullus hominum est qui audeat dicere deberi, nisi Domino soli. Multa de cultu Divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis: sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera: ita tamen ut quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi, et venerandi: si autem eis multum additur, et adorandi. Quis vero sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut putavit, aut finxit?*

§. 638. *Schol.* 1. Sacrificium dupliciter accipi potest *improprie* nempe, sive *metaphorice*, et *proprie*. Improprie acceptum: « Verum sacrificium, ait citatus » P. S. Augustinus (L. XII. De Civ. Dei C. 8.), » est omne opus, quod agitur, ut sancta societate » inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem » boni, quo veraciter beati esse possimus »: Hoc sensu legitur in Scripturis (Psal. 30.): *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*; *Qui facit misericordiam offert sacrificium* (Eccl: XXXV. v. 4.) *Sacrificate sacrificium justitiæ* (Psal. 4. v. 6.): *Immola Deo sacrificium laudis* (Psal. 49. v. 14.) *etc.* Proprie

vero acceptum Sacrificium ita definiri potest: *Oblatio externa rei sensibilis, legitima auctoritate instituta, a Ministro competenti, per immutationem rei, soli Deo factam in protestationem supremi dominii illius in vitam et mortem.*

§. 639. *Schol.* 2. Sacrificium, quod ad rem attinet, quatruplex est; 1. nempe *Latreuticum*; 2. *Eucharisticum*; 3. *Propitiatorium*, et 4. *impetratorium.* Sacrificium lautreuticum est illud, quod fit solum ad Deum colendum, atque testandum ejus in nos Principatum, et nostram erga eum subjectionem, atque servitutem, et hoc dicitur quoque *holocaustum*, quia res tota in Dei obsequium destruitur. *Eucharisticum* est illud, quod Deo in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis offertur. *Impetratorium* vero pro beneficiis obtinendis; et utrumque in veteri Lege Hostia pacifica dicebatur. *Propitiatorium* tandem est illud, quod Deo fit pro peccatis, et pro peccatorum pœnis ac suppliciis avertendis; et idem est quod olim Hostia pro peccato.

§. 640. *Animad.* Cum sacrificium soli Deo debeatur (§. 637.); Cumque varii hominum status fuerint ab origine Mundi usque modo; 1. scilicet *status Innocentiæ*; 2. *status Legis Naturæ*; 3. *status Legis scriptæ*; 4. *Status Legis Evangelicæ*, merito quærunt Theologi, an in quocumque statu fuerint Sacrificia. Quod in brevissimo statu Innocentiae nullum extiterit verum Sacrificium, satis notum est apud omnes. De aliis statibus est videndum. Unde sit.

PROPOSITIO I.

In statu Legis Naturæ vera fuerunt Sacrificia.

§. 641. Prob. Nam (Gen. IV.) *Cain obtulit de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum.*

Noe postquam egressus fuit de Arca (Ib. VIII.): *aedificavit Altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus, et volucribus mundis, obtulit holocausta super Altare.* Abraham, jussu Domini, sacrificavit ei vaccam triennem, et capram trimam (XIII.), et arietem annorum triun, turturem quoque, et columbam; nec non pluries altare erexit, et Domino sacrificium obtulit. Idipsum legitur fecisse Melchisedech. (Ib. Cap: XIV.), Jsaac, Jacob (Ib. Cap. XXIV.) Job. (Cap. I.).

PROPOSITIO III.

In statu Mosaicae Legis, seu scriptae vera fuerunt Sacrificia.

§. 639. Prob. Nam Deus ipse materiam Sacrificiorum destinavit; scilicet 1. Animalia, ut oves, capræ, hoedi, boves, vituli, columbæ, passeres, turtures. 2. Fructus terræ, ut panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum virentium, et triticum. Tertio liquores, ut sanguis, vinum, oleum, aqua et cum Sacrificium fiebat ex animalibus, vocabatur *hostia*, seu *victima*; cum ex fructibus terræ *immolatio*; cum vero ex liquoribus *libamen*, seu *libamentum*. Ergo etc. Deinde in Lege scripta omnium generum sacrificia fuerunt (§. 639.). Fuit namque 1. Sacrificium Latreuticum, sive holocaustum; Nam ita a Domino præceptum legitur (Num. XXVIII.): *Haec sunt sacrificia, quae offerre debetis. Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum etc.* Fuerunt et hostiæ pacificæ, sive Sacrificia impetratoria, et Eucharistica, sive pro gratiarum actione; Fuerunt tandem sacrificia propitiatoria, sive hostiæ pro peccato; et pro his omnibus Sacrificiis rite peragendis ab ipso Deo leges quoque praescriptæ per Moysen fuerunt (Lev. VII.); Ergo etc.

PROPOSITIO III.

In Evangelica Lege sunt veri nominis Sacrificia.

§. 643. Prob. Præcepto tam Divino positivo, quam naturali tenentur homines, Deum actibus internis, et externis adorare, seu colere (§. 634. 635.); atqui sacrificiis præcipue colitur Deus (§. 637.); Ergo si in statu Legis naturæ, et Legis scriptæ fuerunt sacrificia ad Deum colendum, multo magis in Lege Evangelica sunt. Quod satis ostendit Apostolus dicens (Heb. XIII): *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt.*

CAPUT III.

De Sacrificiis Legis Evangelicae.

§. 644. *Animad*: Duo sacrificia in præsenti statu Legis Evangelicæ agnoscunt Catholici, unum *cruentum*, quod nempe sanguinis effusione in ara Crucis per Jesum Christum peractum est, qui victimae, et Sacerdotis vices gerens, semetipsum hostiam immaculatam, et Deo placentem obtulit pro totius humani generis redemptione; alterum *Incruentum*, quod nempe absque sanguinis effusione completur. Hæc autem duo Sacrificia, si quoad rem oblatam considerentur, non sunt nisi unum Sacrificium; nam in utroque res oblata est eadem, nempe Christus Dominus. Haec Catholici; non item Hæretici.

§. 645. Nam Lutherus Eucharistico sacrificio, seu incruento bellum indixit, adeo ut veritus non sit dicere (In. conf. ann. 1524.), *se supra omnes abominationes habere Missam, et nihil magis dolere quam quod per annos quindecim Missas celebrarit Catholicorum more.* Idipsum praestarunt Zuinglius, et Calvinus, quorum primus effecit ut apud Helve-

tios; secundus apud Genevenses, Missas penitus abrogarentur. Consequenter hi omnes neque Missis aliquid obtineri posse docebant, neque Deum propitium reddi peccatoribus. Post Lutherum, Brentium, et Kemnitium, Philippus Melacthon adversus Missas, quas vocant privatas, in quibus nempe solus Sacerdos communicat, debbacchatus est. Sed quam impie, ex dicendis patebit.

PROPOSITIO I.

Christus in institutione Eucharistiae verum obtulit sacrificium.

§. 646. Prob. Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech; Ergo in istitutione Eucharistiæ verum obtulit sacrificium. Prob. consa. Melchisedech Sacerdos obtulit Deo in sacrificium panem et vinum, idque in gratiarum actionem ob victoriam ab Abraham de quinque Regibus reportatam; Sed Christus in institutione Eucharistiæ panem et vinum obtulit, convertitque in sui corporis et sanguinis substantiam; Ergo Christus etc. Quare communiter Theologi, in oblatione panis et vini facta a Melchisedecho *typum Eucharistiæ* agnoscunt cum Clemente Alexandrino (In IV. Strom.); *typum Sacerdotii Dominici* cum Theodoreto (Tomo p. 50.); *typum Christi, cujus ordo de Sacerdotio illo veniens et inde descendens*, cum S. Cypriano (Epist. 63. ad Cæcil.); *typum mensae Dominicae, et sacrificium, quod nunc offertur toto orbe terrarum* cum S. Augustino (1). Sed et rem omnem plane absolvit Tridentina Synodus (Sess. XXII.) dicens: *Dominus*

---

(1) *Epist. 95. ad Innoc. et Lib. XVI. de Civit. Dei Cap. XXII.*

noster etsi semel seipsum in ara Crucis, morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suae visibile . . . relinqueret sacrificium . . . Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum, corpus, et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit.

§. 647. Dices. Melchisedech proferens panem et vinum, non obtulit Deo sacrificium, sed tantum reficere voluit Abrahami milites, qui defatigati a prælio redibant; Frustra ergo ex hoc quod fecit, et quod Christus dicatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech conantur eruere Catholici, Christum institutione Eucharistiæ verum obtulisse Sacrificium.

§. 648. R. n. maj. cum consa. Falsum est, Melchisedech panem et vinum protulisse ut Abrahæ milites refocillaret. Nam primo, Abrahæ milites cibo corporali non indigebant, quippe ob reportatam victoriam, ingenti praede ditati fuerant, et multum habebant quod manducarent; quodque de præda revera hauserint, quod comederint, patet ex eo quod nihil acceptaverit Abraham de praeda, . . praeter ea, quae *comederant juvenes, et eas partes virorum, qui cum eo venerant* (Genesis Cap. XIV. v. 24.). Praeterea si Melchisedech panem et vinum protulit non ad offerendum Deo sacrificium, sed tantum ad Abrahae milites refocillandos, ut quid in tali actione memoratur a Scriptura quod *erat Sacerdos Dei altissimi*? Si ergo talis dicitur, est, quia tunc ad sacrificium Deo offerendum panem, et vinum protulit. Tandem Ecclesia, quae est columna, et firmamentum veritatis, in quadam Oratione, quae est in Canone Missae ait, Deo acceptum fuisse sacrificium, quod ei obtulit summus Sacerdos ejus Melchisedech sicuti accepta ei fuerant sacrificia Abel justi, et Abrahae no-

stri Patriarchae; Ergo sacrificium vere obtulit Deo Melchisedech; adeoque falsum est etc.

PROPOSITIO II.

Sacrificium illud, quod Christus instituit, et in Ecclesia offerendum præcepit, veram habet proprii Sacrificii rationem.

§. 649. Prob. Ad constituendum verum, et proprium Sacrificium quinque potissimum concurrere debent; nempe 1. Oblatio externa rei sensibilis; 2. Ejus institutio a legitima potestate; 3. Ut sit facta a competenti Ministro; 4. Facta Deo; et 5. ut res oblata immutetur; Atqui hæc omnia reperiuntur in illo sacrificio, quod Christus instituit, et in Ecclesia offerendum præcepit; Ergo etc. Prob. min.: quoad singulas ejus partes Et 1. in illo Sacrificio, quod Christus instituit adest oblatio rei sensibilis, species nempe externae, et sensibiles panis, et vini; sub quibus realiter Christus continetur; 2. adest institutio a legitima potestate; institutum enim fuit a Christo, cui data est omnis potestas in Caelo et in Terra 3. adest minister legitimus, Sacerdos nempe; Christus namque cum hoc sacrificium in ultima Caena instituit, Apostolos Sacerdotes, et Episcopos ordinavit, eosque, sicuti et omnes eorum successores Ministros etiam hujus Sacrificii instituit, dicens (Lucae XXII. v. 19.) *Hoc facite in meam commemorationem*; 4. Oblatio adest facta Deo; nam in illo sacrificio, quod Christus instituit, Christus ipse Deus et homo offertur; quippe *idem ipse Sacerdos et sacrificium est Jesus Christus;* ait Quarta Synodus Lateranensis (Anni 1215. Can. 1.), *cujus corpus, et sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis et vini veraciter continetur*; atque *una eademque est hostia*, inquiunt Patres Concilii Tridentini (Sess. XXII. Cap. II.),

idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit: sola offerendi ratione diversa. Jam vero cui Jesus Christus, hostia et sacrificium offerri potest, nisi Deo? Tandem res oblata immutatur; nam species illae sensibiles panis, et vini, sub quibus Christi corpus, et sanguis veraciter continetur, consumuntur, et omnino mutantur; Ergo etc.

§. 650. Idipsum unanimi, et constanti Patrum traditione comprobatur, quod Hæretici ipsi negare non possunt. Unde Kemnitius (In Examine.) *Negari non potest*, ait, *Veteres, quando loquintur de celebratione Cœnæ Dominicæ, usurpare vocabula sacrificii, immolationis, hostiæ, victimæ; uti verbis offerre, sacrificare etc.* Verum quoniam Hæretici se in re tam gravi Patres non curare profitentur, illorum testimonia omittimus (1).

§. 651. *Objic. Christus*, ut ait Apostolus (Hebrae. Cap. X. v. 14.) *una oblatione cosumavit in sempiternum sanctificatos*; Ergo nulla alia relinquitur oblatio, nullum sacrificium; et consequenter etc.

§. 652. R. dist. ans.: Et loquitur Apostolus de sacrificio cruento, conc. ans.; de sacrificio incruento, n. ans.; et utramque consm. Utique Christus unico sacrificio cruento, quod fuit infiniti valoris, opus nostrae redemptionis absolvit, et consumavit.; ita ut nullo alio cruento sacrificio in sempiternum opus erit, ut totius Mundi peccatorum remissio fiat. Hoc autem non officit illi sacrificio, quod Christus instituit, et in Ecclesia offerendum praecepit; istud namque est incruentum. Una enim, eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa, scribit Tridentina Synodus (§. 649.).

§. 653. *Contra.* Atqui praeter sacrificium Cru-

(1) *Videri tamen poterunt apud* Bellarminum.

cis nullum aliud, nempe incruentum sacrificium relinquitur; Ergo n. r. Prob. subsm. Christus est solus Sacerdos; sed ubi nullus alius est Sacerdos, nullum pariter extat sacrificium; Ergo etc.

§. 654. R. dist. maj.: Christus est solus Sacerdos summus, et principalis ad exclusionem cujuscumque ejusdem auctoritatis, et dignitatis, conc., ad exclusionem cujuscumque dignitatis, et auctoritatis ab ipso participatæ, et acceptae, n. maj., et dist. min.; sed ubi nullus alius est Sacerdos ejusdem potestatis, atque auctoritatis ac Christus, nullum extat sacrificium, n. min.; ubi nullus est Sacerdos, ne quidem participatae auctoritatis, nullum pariter extat sacrificium, conc. min.: et n. consm. Esto Dominus Jesus Christus sit unicus, et solus Sacerdos infinitae auctoritatis, et dignitatis, non desunt tamen in terris, et alii Sacerdotes ejus vicarii, et ministri, qui potestate ab ipso accepta, sacrificium perficiant. Audiatur. S. Cyprianus (Epist. 63. ad Caecilia.): « Si Jesus Christus Dominus, et Deus noster, ipse » est summus Sacerdos Dei Patris, et sacrificium » Patri seipsum primus obtulit, et hoc fieri in sui » commemorationem praecepit, utique ille Sacerdos » vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus » fecit imitatur, et sacrificium verum, et plenum » tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat » offerre, secundum quod videat ipsum Christum » obtulisse «.

§. 655. *Contra* Atqui nulli omnino alii dantur Sacerdotes, adeoque nullum etiam extat sacrificium Ergo etc. Prob. subsm. In Lege veteri, ideo *alii plures facti sunt Sacerdotes, quod morte prohiberentur permanere*, ait Apostolus ad Hebraeos (Cap. VII. v. 23.); Atqui *Jesus, eo quod maneat in æternum sempiternum habet Sacerdotium*. Ergo nulli omnino alii dantur Sacerdotes; Adeoque etc.

§. 656. R. Ex quo Christus Sacerdos in aeter-

num dicatur, multum abest ut inferatur nullum alium esse Sacerdotem ejus ministrum, et vicarium in terris, quin etiam oppositum omnino eruitur. Sane si Christus est Sacerdos in perpetuum, quotidie quoque, ex citato Apostolo, si non pro seipso, qui innocens, et impollutus, saltem pro populi peccatis sacrificium debet offerre (Ibid. v. 26.); ad hoc enim omnis Pontifex assumitur. Jam vero Christus est in Caelis, et sedet ad dexteram Patris; aut ergo dicendum, Christum nullum amplius offerre pro nobis Deo Patri sacrificium, Ecclesiamque Catholicam sacrificiis proprie dictis carere, aut dicendum, Christum, qui semel cruentum sacrificium se obtulit in ara Crucis, quotidie seipsum per manus ministrorum suorum sacrificari: Primum dici nequit, quia frustra diceretur Christus in aeternum Sacerdos, quin saltem per alios in terris sacrificium offerret; aliunde fieri nequit, ut Ecclesia cui Deus per os Prophetae Malachiae (Cap. I. v. 11.); peculiare et mundum sacrificium ubique offerendum promiserat, dicens: *In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda*, absque sacrificiis relicta fuerit; Secundum ergo dicendum est; Christum nempe quotidie per manus ministrorum suorum se offerre immaculatum Deo; sicque exercere suum aeternum Sacerdotium.

PROPOSITIO III.

Sacrificium Missae, est quoque propitiatorium, et impetratorium.

§. 657. Prob. I. P. Christus Dominus, hoc sacrificium instituens, et offerens in ultima Caena dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur* (Lucae Cap. XXII. v. 28.): *Hic est calix novum Testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, graece *funditur*; et quidem *in remissionem peccato-*

rum (Matthæi Cap. XXVI. v. 28.); Ergo sacrificium Missae etc. Deinde Missae sacrificium, ex Concilio Tridentino (Sess. XXII. Cap. II.), est unum et idem ac sacrificium, quod Christus in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversum: Atqui sacrificium Crucis fuit propitiatorium, Christus namque ait Joannes (Epist. I. Cap. II. v. 7.): *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi.* Ergo etc.

§. 658. Prob. II. P. Sacrificium Missae est propitiatorium; Ergo est etiam impetratorium. *Cum namque, res oblata*, ait optime Petrus de Marca (Dissert. Posthuma de Eucharistia), *et qui principaliter offert, et interpellat, sit ipse Christus, dubium non est, quin sit in hoc sacrificio infinita vis impetrandi omnem gratiæ apparatum, quo instructi, ingentium criminum veniam consequi possimus. Quid enim deest ad peccatorum indulgentiam assequendam ubi auctor ipse gratiæ, qui eam nobis promeruit is est, cruento sacrificio, in mystica cæremonia illius memoriam renovat, atque pro nobis Patrem interpellat, quo beneficii in Cruce quæsiti nos faciat compotes?*

§. 659. *Coroll.* Quoniam ergo Missæ sacrificium est propitiatorium (§. 657.), et impetratorium (§. 658.) recte infertur applicari posse tam pro vivis, quam pro defunctis. *Neque enim*, ait Augustinus (Lib. XX. de Civit. Dei Cap. IX.), *piorum animae mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est Regnum Dei.* Unde S. Cyrillus (Catechesi V.): *Pro omnibus oramus*, inquit, *qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur præcatio sancti illius, et tremendi, quod in altari positum est, sacrificii.* Jure proinde Tridentina Synodus hunc edidit Canonem (Sess. XXII. Can. 3.): *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in Cruce pe-*

racti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis, et defunctis; pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.

Quæres. *Num tale Sacrificium rite peragatur in honorem Sanctorum?*

§. 660. R. affirm.: Nam sacrificio Missae, Deo de Sanctorum victoriis gratias agimus, eorum patrocinia imploramus, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in Caelis, quorum memoriam agimus in terris. Quare Concilium Tridentinum ita statuit (Ibid. Can. V.): *Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit* (1).

Quæres. *Utrum Missæ, quæ privatæ dicuntur, licitæ sint?*

§. 661. R. affirm.: Nam hae Missae privatae, quae nempe celebrantur a Sacerdote, nullo alio, praeter Sacerdotem solum, sacramentaliter communicante, ab Ecclesia approbantur, et commendantur. Audiatur Tridentina Synodus de talibus Missis loquens (Sess. XXII. Cap. VI.): *Optaret quidem Sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat: siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent; partim quod in eis populus spiritualiter communicat; partim vero quod a publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantum, sed*

---

(1) *Leg.* Bellarminus *de Missa Lib. II. Cap. VIII.*

pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus pertinent, celebrentur (1).

Quæres. *Num Ecclesia potestatem a Deo acceperit instituendi dies festos, cæremonias, ac jejunia præcipiendo ut a fidelibus religiose observentur?*

§. 662. R. affirm.: Nam Ecclesiae, ejusque Supremis Praelatis, atque Pastoribus potestas à Deo data fuit ferendi Leges Ecclesiasticas, obligantes in conscientia (§. 523. Tomi I.); Ergo etc. Praeterea Ecclesia Christi Sponsa, et omnium fidelium pia Mater, ea omnia potest instituere et religiose a fidelibus observanda praecipere, quae ad Dei cultum tum promovendum, cum augendum conferre cognoscit, et fidelibus spirituale emolumentum afferre; Atqui dies festi, caeremoniae, et jejunia, ut liquido patet, ad Dei honorem, et debitum cultum, vel maxime conferunt, quippe sive in se, sive in Sanctos suos laudatur, et colitur Deus; et fidelis in his festis diebus, magis Deo famulatur, eique adhaeret, necnon et bona spiritualia multa sibi comparat; Insuper caeremoniis sacris ad Sacramentorum dignitatem agnoscendam assurgit; Atque jejuniis sibi Deum propitium peccatis, et misericordem reddit; Ergo etc.

(1) *Vide alia quæ desiderantur apud* Berti *de Theolog. Discipl. XXXIII. Cap. XXI.*

TRACTATUS II.

De mediatione Christi. De invocatione Sanctorum, eorumque cultu. De Sacris Immaginibus, et Reliquiis.

§. 663. Mundum hunc malis, atque periculis undique plenum esse, satis quisque experitur. Nostra itaque multum interest nosse ad quem recurrere debeamus, ut Deo reconciliati, misericordiam inveniamur et gratiam in tempore opportuno, atque a malis, periculisque liberati, pacem habeamus, quantum hic fieri potest, ab hostibus tum animae, cum corporis; vel saltem patientia, adversa propter Deum sustinentes, divinas reportemus promissiones. De hoc ergo apud Deum Patrem pro nobis Mediatore; deque aliis advocatis, atque intercessoribus nostris, in hoc Tractatu verba faciemus.

CAPUT I.

De Mediatione Christi.

§. 664. *Def. Mediator hic dicitur, qui inter dissidentes se medium ponit, ut eos invicem reconciliet et in pace constituat.*

§. 665. *Schol.* Quatrupliciter autem quis potest esse mediator; vel 1. nempe ut internuntius, et interpres partium, quae sibi adversantur, ut vicissim cognito quid quaeque velit, alteram cum altera convenire faciat; vel 2. ut arbiter, temperando vicissim dissidentium jura, eosque ad invicem componendo; vel 3. uti advocatus, aut intercessor unius apud alterum; vel tandem 4. uti sponsor, parti offensae pro altera, plene satisfaciendo. Porro tribus prioribus modis, Christum Dominum mediatorem esse, non diffitentur asserere Sociniani; at eum plene satisfecisse pro peccatis nostris, non concedunt. Hinc de tali re variæ sunt.

Auctorum sententiæ.

§. 666. Franciscus Stancarus Mantuanus docuit, Christum Mediatorem fuisse ratione solius humanitatis; e contra, ratione Divinitatis eum talem fuisse tenebat Osiander. Calvinus vero secundum utramque naturam, tam Divinam nempe, quam humanam Christum Mediatorem fuisse asseruit: Idipsum docuerunt Henricus Bullingerus, Petrus Martyr, Josias Simlerus, Martinus Kemnitius, et Melancthon. Catholici aliter sensiunt. Unde sit.

PROPOSITIO I.

Christus Dominus est verus Mediator inter Deum, et homines.

§. 667. Prob. Nam I. Christus Dominus fuit internuncius a Deo Patre ad nos missus, ut ejus voluntatem nobis aperiret, atque exponeret, ut illi nos conformantes, pacem cum eo haberemus: *Unigenitus* namque, ait S. Joannes Evangelista (Cap. I. v. 18.), *qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis*: Et Christus ipse apud eundem (Cap. XV. v. 15.): *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* II. Christus Dominus fuit arbiter; *Ipse* enim, scribit Apostolus ad Ephesios (Cap. II. v. 14. 15.), *est pax nostra; qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* III. Christus fuit, et est pro nobis apud Patrem advocatus, et intercessor. Nam ait S. Joannes (Epist. I. v. 1.): *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum;* et Apostolus ad Romanos (Cap. VIII. v. 34.): *Jesus Chri-*

stus, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei qui etiam interpellat pro nobis. IV. tandem Jesus Christus pro nobis divinæ justitiæ satisfecit, et omne debitum solvit. Nam *Christus* scribit Apostolus ad Ephesios (Cap. V. v. 2.), *dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*; et ad Corinthios (Epist. I. Cap. VI. v. 20.): *Empti estis pretio magno*; Unde S. Petrus inquit (Epist. I. Cap. I. v. 18. 19.): *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis . . . sed pretioso sanguine . . . Christi.* Ex quibus, en argumentum: Christus Dominus est verus Mediator inter Deum, et homines si fuit internuncius, sive legatus; si fuit arbiter; si fuit advocatus, et intercessor; si tandem omne debitum pro nobis solvit; Atqui ex dictis, talis est Christus; Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Jesus est Mediator ut Homo-Deus.

§. 668. Prob. Apostolus ad Timotheum scribens, ait (Epist. I. Cap. II. v. 4.): *Unus Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*; Sed Cristus Jesus est homo Deus; Ergo etc. Et sane: *Mediator, inter Deum, et homines*, inquit S. Augustinus (Lib. X. Conf. Cap. IV.), *oportebat ut haberet aliquid simile Deo, et aliquid simile hominibus, ne in utroque hominibus similis, longe esset a Deo; aut in utroque Deo similis, longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset*; Atqui talis est Christus homo Deus; Ergo etc.

CAPUT II.

De Mediatione Sanctorum.

§. 669. *Animad.* Praeter Christum Dominum, unicum mediatorem principalem, alios quoque mediatores secundarios quidem inter Deum et homines admittendos esse, nemo Catholicorum dubitat. Ecclesia namque, quæ columna est, et firmamentum veritatis ubique terrarum Sanctorum festivitates celebrat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cælis, quorum memoriam agimus in terris, eosque suppliciter orat, ut a Deo, et Domino nostro Jesu Christo gratias, et dona, et auxilia impetrent, nec non ipsum Deum Patrem, ac filium ejus Jesum Christum adprecatur, ut quod nostris meritis obtinere non valemus eorum meritis, et patrocinio assequamur. Verum huic Ecclesiæ doctrinae, et praxi, non pauci Hæretici tam antiqui, quam recensiores adversantur. Nam.

§. 670. Aetius, Vigilantius, Claudius Taurinensis, Petrobrussiani, Waldenses, et Wicclefitae, Sanctos invocandos non esse asseruerunt, cum ipsi nec nostra sciant, nec pro nobis orent. Stultitia namque est, ajebat Wicclefus, recurrere ad scurras Principis, quando ipse Princeps est paratissimus per se audire: vel sectari turbidos rivos, quando fons ipse patet. Idipsum docuerunt Lutherus, Melacthon, Brenzius, et Calvinus, dicentes non haberi Sacris in literis, Sanctos mortuos orare pro vivis; atque esse inutile, et illicitum orare Sanctos, aut Angelos, aut homines, ut pro nobis orent; inutile quidem, quia ut ait Calvinus, non habent longas aures, ut nostras preces audiant, illicitum; quia obscuratur gloria Christi, qui unus est Dei, atque hominum mediator (1). Contra quos, aliosque sit.

(1) *Vid.* Coccius *Tomo I. Thesauri Catholici Lib. V. Art. VI.*

PROPOSITIO I.

Sancti cum Christo regnantes, quid nobis opus sit sciunt; nostrasque preces audiunt.

§. 671. Prob.: Sancti cum Christo regnantes ampliora dona, et perfectiora beneficia obtinent in Cælo. præ illis quæ habuerunt in terris; Atqui Sanctis concessum est in terris aliquando, ut scirent cordium arcana, secreta consilia, et quæ in dissitis locis peragebantur; Ergo multo magis id concessum est eis in Cælis; Adeoque etc. Prob. min. Samuel cognovit omnia quae erant in corde Saulis (Lib. I. Regum Cap. IX. v. 19.). Eliseus scivit omnia, quae a famulo absente peragebantur (Ibid. Lib. IV. Cap. V. VI.); et perspecta habuit omnia secreta consilia Regis Syriae, eaque Regi Israelis referebat. S. Petrus scivit occultam fraudem Ananiae, et Saphiræ circa pretium agri (Actorum Cap. V.): Ergo Sanctis etc.; Adeoque multo magis etc. (1).

PROPOSITIO II.

Sancti nostras preces audientes, et quid nobis opus est scientes, orant pro nobis Deum.

§. 672. Prob. I. ex Scripturis. Judas Machabaeus in somnis vidit Oniam Sacerdotem, jam defunctum, manus extendentem, et orantem pro populo (Lib. II. Machab. Cap. XV. v. 12. 14.). Postea vidit et alium virum aetate gravem, gloria mirabilem, et audivit Oniam dicentem: *Hic est, qui multum orat pro populo, et universa Sancta Civi-*

(1) *Vid. S. Aug. de Civit. Dei Lib. XXII. Cap. XXIX.*

tate, *Jeremias Propheta Dei* S. Petrus ita de seipso loquitur, morti proximus (Epist. II. Cap. I. v. 14. 15.): *Certus, quod velox est depositio tabernaculi mei secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi. Dabo autem operam, et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Ergo etc.

§. 673. Prob. II. Patrum traditione perpetua et constanti. S. Basilius Magnus (Homil. XX.): » Suscipio ait Sanctos Apostolos, Prophetas, Martyres » qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum mediationem propitius mihi sit Deus noster, » et remissionem peccatorum mihi gratis largiatur «. S. Joannes Chrysostomus (In Liturgia.) ita Deum precatur: » Precibus Sanctorum tuorum salva nos » Domine, et omnium Sanctorum supplicationibus visita nos Deus «. S. Hieronymus (Adver. Vigilant. Cap. III.): Si Apostoli, ait, et Martyres » adhuc in corpore constituti possunt orare pro caeteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti; » quanto magis post coronas, victorias, et triumphos «? Tandem S. Augustinus (Ad Psal. 85.): » Dominus noster Jesus Christus, inquit, adhuc interpellat pro nobis; omnes Martyres, qui cum illo « sunt, interpellant pro nobis »; Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Sanctorum orationes Deo placent, et ab eo exaudiuntur.

§. 674. Prob.: Sancti atque justi, utpote Dei amici a Deo diliguntur; quoties ergo illi Deum pro nobis orant, eorum orationes Deo sunt acceptae, et ab eo exaudiuntur. Unde legitur (Proverb. XV. v. 29.): *Orationes justorum exaudientur.* Igitur etc. Prob. consq. Deus orationibus Sanctorum suorum plura

hominibus in hac vita, etiam peccatoribus, elargitus est. Ita precibus Loth non destruxit Civitatem Segor (Genesis Cap. XIX. v. 21.); precibus Moysis, pluries pepercit Israelitico populo (Exodi Cap. XV, XVII., et alibi.), ejusque inimicos perdidit; precibus Job, peccatum amicorum ejus dimisit; et ut alia taceamus, precibus S. Petri, Tabitam mortuam reviviscere fecit (Actorum Cap. IX. v. 40.), ac precibus S. Pauli, Patrem Publii febribus, et dissenteria vexatum salvum fecit; Ergo etc.

Dices. Non negatur Sanctorum viventium orationes Deo placere, atque ab eo exaudiri; sed mortuorum; nulla ergo adducta probatio.

§. 675. R. Si Sanctorum viventium orationes Deo placuerunt, multo magis ei placent illae Sanctorum mortuorum. Cum namque Sancti in Caelis Deo summo bono fruantur, eique ita adhaerant, ut unus Spiritus sint cum eo, profecto quod petunt, nequit non esse Deo acceptum, et ab eo non exaudiri, (si aliud tamen expedire Divinae Majestati non videbitur). Deinde si Sanctorum in Caelis regnantium preces Deo non placerent, ab eo utique non exaudirentur; neque proinde Sanctorum intercessionibus aliquid a Deo fuisset obtentum, nulla miracula ad eorum invocationem patrata, imo adversa potius hominibus obvenissent; Atqui ad Sanctorum invocationem, ut Ecclesiasticae historiae testantur, beneficia plurima, et gratiae obtinentur a Deo, surdi auditum, caeci visum, muti loquelam, languidi, et infirmi sanitatem obtinuerunt, ipsi mortui ad vitam revocati sunt; et alia omnis generis miracula, et stupenda prodigia patrata sunt; Ergo etc.

PROPOSITIO IV.

Sanctorum invocatio non opponitur Christi mediationi.

§. 676. Prob.: Nam Sancti non invocantur a nobis ut mediatores primarii, sicuti invocatur Christus sed ut secundarii intercessores apud Deum, et ipsum Dominum Jesum Christum. Ergo etc. Deinde si ex ipsorum Haereticorum concessione possumus adhibere mediatores justos viventes, atque eorum orationibus nos commendare, quin Christo injuriam faciamus, cur etiam non mortuos? Praeterea si nos Sanctos invocamus ut sint nostri mediatores, non id facimus quasi fidentes Jesu Christo non simus; scimus enim, et confitemur non esse aliud nomen sub Caelo datum hominibus quam nomen Jesu, in quo oporteat nos salvos fieri; atque Sanctos, omnem vim precandi, et impetrandi a Jesu Christo principali mediatore accepisse; unde Ecclesia semper concludit orationes: *Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.*; Confidimus itaque in Jesum Christum, sed Sanctos quoque invocamus, ut eorum meritis et intercessoribus a Deo Patre, et Filio ejus, quod petimus facilius impetremus; quod certe in Dei honorem, et gloriam cedit, qui coronat Sanctos suos, et ipsis mediantibus largitor bonorum, et dives in misericordia ostenditur. Tandem si Sanctorum invocatio esset opposita mediationi Christi, Deo non placeret; Atqui Deo placet, et ita quidem ut stupenda miracula efficiat, (§. 674. 675.); Ergo etc.

PROPOSITIO V.

Licitum est Sanctos cum Christo regnantes invocare.

§. 677. Prob. : Sanctorum cum Christo regnantium invocatio non est Deo injuriosa, nec mediationi Jesu Christi opposita (§. 676.); Ergo etc. Deinde placet Deo ut Sancti invocentur; placent enim ei Sanctorum orationes, quas illi pro nobis ad ipsum faciunt (§. 674.); Ergo licitum est etc.

PROPOSITIO VI.

Sanctorum invocatio utilis est; non autem præcepta.

§. 678. Prob. Sancti sciunt quid nobis est opus in hoc Mundo, et nostras audiunt preces (§. 672); ipsi orant Deum pro nobis (§. 672.); eorum orationes Deo placent, et ab ipso exaudiuntur; unde eorum intercessionibus plurima beneficia in nos dimanant; et innumera patrantur a Deo miracula (§. 674.); Ergo Sanctorum etc. Quare Tridentina Synodus, mandat Episcopis et Pastoribus, ut fideles de Sanctorum intercessione diligenter instruant (Sess. XXV.), *docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus offerre; bonum atque utile esse simpliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere: illos vero, qui negant Sanctos, æterna felicitate in Cœlo fruentes, invocandos esse . . . . impie sentire.*

§. 679. Prob. II. Si Sanctorum invocatio esset præcepta, id constaret vel ex Scriptura, vel ex traditione, vel ex Conciliis, vel ex aliquo Decreto Ec-

clesiæ; Atqui nullibi constat extare tale præceptum! Ergo etc. (1).

§. 680. *Objic. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum*, ait Regius Psaltes (Psal. 144. v. 18.); Ergo prorsus inutile est Sanctos in Cælo, tam longe a nobis distantes invocare, ut bona consequamur.

§. 681. R. Licet Deus, quia ubique est, prope sit omnibus invocantibus eum, non ideo sequitur esse inutile Sanctos in Cælo existentes invocare; nam multa Deus concedere decrevit per merita et intercessiones Sanctorum, et non aliter. Poterat certe Deus Abimelech sanare a contracto morbo propter Saram, quam sibi tulit in uxorem, et tamen nonnisi mediantibus orationibus Abrahae id voluit; dixit namque illi (Genesis Cap. XX. v. 7.): *Redde viro suo* (idest Abrahae) *uxorem* . . . . *et orabit pro te, et vives*; *de facto, orante Abraham, sanavit Deus Abimelech etc.* Poterat Deus Jobi amicis ignoscere, at nonnisi per ipsius Jobi orationes id facere voluit; Unde et dixit illis (Cap. XLII. v. 8.): *Ite ad servum meum Job, et offeret holocaustum pro vobis. Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* Ita pariter potest Deus per seipsum, quod nobis opus est concedere, at multa non aliter vult concedere, quam per intercessionem Sanctorum, ut experientia continua patet. Quod vero Sancti distent a nobis, id non impedit, quominus videant quibus nos indigemus; et audiant nostras preces. Nam id Sancti non percipiunt sensibus corporis, sed in Deo vident.

§. 682. *Contra.* Atqui prorsus inutile est, Sanctos in Caelo existentes invocare, cum tam prope habeamus Deum, quem invocemus, ergo a capite argm.

(1) *Vid.* Becanus *Tomo V. Opusculorum Opusc. I. Q. V. et seq.*

Prob. subsm. Deus solus novit corda omnium (III. Regum Cap. VIII. v. 39.): *Mortui vero nihil norunt amplius* (Ecclesiast. Cap. IX. v. 5.); Ergo etc.

§. 683. R. Deus etc. per scientiam infinitam, et essentialem, conc. ans; ad exclusionem aliorum, qui scientiam habent participatam; n. ans; et admisso alio Scripturae testimonio in sensu explicando, n. consm. Secreta cordium penetrare solius Dei est, qui sua natura, infinita scientia pollet, unde et *Deus scientiarum Dominus* dicitur (I. Regum Cap. II. v. 3.); et (Job. Cap. XXXVI. v. 26.) *vincens scientiam nostram*; nihil autem obstat quominus id a Deo homini concedatur; quemadmodum pluries cum Prophetis, Apostolis aliisque factum esse, Sacrae literae testantur. Quare scientia participata, atque a Deo accepta, optime possunt Sancti occulta scire, atque secreta cordium penetrare. Neque contra hoc facere putandum est, quod ait Ecclesiastes citato loco; ibi namque non negat Sanctis scientiam eorum, quae hic peraguntur, sed tantum vult ostendere operandum esse bonum in hac vita, quae nobis ad merendum data est, quia post mortem nihil amplius noscit homo, quod possit prodesse ad salutem, et nihil habet quod possit adjicere ad illud, quod secum tulit de hoc Mundo, ut Deo magis placeat, aut ab eo uberiorem mercedem accipiat.

§. 684. *Objic.* II. *Unus* est mediator hominum Christus Jesus, per quem habemus accessum ad Patrem; Ergo frustra alios mediatores invocamus; Adeoque etc.

§. 685. R. dist. ans. Unus etc. principalis, sine exclusione aliorum, qui sunt secundarii, conc.; secus n. ans. cum consa. Unus utique est principalis noster mediator Christus Dominus (§. 667.); at non per hoc excluduntur mediatores secundarii, Sancti nempe in Caelo regnantes, qui vim mediandi ab ipso participant, et per ejus merita; Unde sicut non fru-

stra hanc eis vim contulit Christus Dominus, ita non frustra ipsi a nobis invocantur.

§. 686. *Contra.* Atqui frustra alios mediatores invocamus; Ergo n. r. Prob. subsm. Christus Dominus, licet in Cælis ad dexteram Patris, adhuc est vivens ad interpellandum pro nobis, et nos advocatum habemus cum apud Patrem, qui utique pro sua reverentia a Patre exauditur; Ergo etc.

§. 687. R. Si hoc argumentum valeret, dicere deberemus, non esse amplius orandum nec pro aliis, nec pro nobis ipsis. Unusquisque enim dicere posset: Ego sum peccator, et nullius meriti; Christus est Justus, et meriti infiniti; meæ itaque orationes apud Deum nihil valent; valent vero quammaxime illæ Christi; Jam vero Christus interpellat pro me semper, et exauditur; ut quid ergo frustra tempus insumam in precibus fundendis? Jam vero hoc impium est dicere: Christus namque ipse docuit (Lucæ Cap. XVIII. v. 1.): *oportet semper orare, et numquam deficere*; et ad orandum in Horto discipulos secum habere voluit; et S. Jacobus (Cap. V. v. 16.): *Orate pro invicem ut salvemini*. Si ergo non obstante Christi apud Patrem continua mediatione, adhuc debemus orare pro nobis, et pro aliis; stante eadem mediatione possunt Sancti in Coelis Deum pro nobis orare, et exaudiri; et consequenter non frustra eos invocamus.

CAPUT III.

De adoratione Christo, ut homini debita.

§. 688. *Animad.* Adoratio tam *Latriæ*, quam *Duliæ*, atque *Hyperduliæ* (§. 633.) duplex est; *absoluta* nempe, et *relativa*, vel *respectiva*. Prima est illa, quæ alicui praestatur propter excellentiam intrinsecam vel sibi, vel supposito: hujus adorationis

capax est sola rationalis substantia; secunda vero est illa quae alicui rei prestatur propter aliquam personam excellentem, ad quam res illa habet aliquam habitudinem, vel relationem; atque hujus capax est quaelibet res, quae habitudinem habet ad substantiam intellectualem.

§. 689. *Schol.* Christi humanitas, quoad adorationem, tripliciter considerari potest: 1. quatenus concipitur ut hypostatice unita Verbo Divino, et sic concepta adoratur. 2. prout apprehenditur separata a Verbo; et sic adoratur. 3. tandem ut consideratur secluso omni ordine ad suppositum Verbi, et solummodo quatenus ab illa multa consequuti sumus beneficia. Porro circa adorationem humanitatis Christi priori modo inspectam.

Variae sunt Theologorum sententiae.

§. 690. Volunt aliqui, Christi humanitatem, ut Divinitati Verbi unitam, non esse adorandam adoratione Latriae, sed Hyperduliae. Putant alii eam adorandam quidem esse adoratione Latriae, at largo modo, non stricte sumpta. Opinantur tandem permulti, eam vera adoratione Latriae adorandum esse; atque haec sententia communis est hodie inter Theologos; Unde sit.

PROPOSITIO.

Christus ut Deus-homo unica adoratione Latriae adorari debet.

§. 691. *Prob.* I. ex Scripturis. Apostolus ad Hebraeos scribens, ait (Cap. I. v. 6.): *Et cum iterum introducit primogenitum in Orbem Terrae, dicit: et adorent eum omnes Angeli Dei*; et ad Philippenses, inquit (Cap. II.): *donavit illi nomen,*

quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. Revera cum natus esset Jesus, Magi ab Oriente venerunt cum muneribus adorare eum, et jam *procidentes adoraverunt eum* (Matth. Cap. II. v. 11). Caecus Evangelicus cum lumen a Jesu Christo recepisset, et scivisset eum esse Messiam expectatum, et Filium Dei, *procidens adoravit eum* (Joan. Cap. IX. v. 38.). Leprosus pariter *veniens adorabat eum* (Matthaei Cap. VII. v. 2.); et agnoscens ejus divinam potentiam in morbis curandis, dicebat: *Domine, si vis, potes me mundare.* Tandem cum a morte resurrexisset, et dixisset mulieribus: *Avete, illae accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.* Ergo etc.

§. 692. Prob. II. ex Concilio Lateranensi sub Martino I. (Consult. 4. Can. 9.), in quo ita legitur: *Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt separatim Deo Verbo, et separatim homini ... sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Ecclesiæ Dei traditum est, talis anathema sit.* Ergo etc.

§. 693. *Objic.* Christi Domini humanitas non debet adorari ut Deus; sed soli Deo cultus Latriae debetur; Ergo falsa propositio.

§. 694. R. dist. maj: Christi Domini etc. primario, et propter se, conc. maj., secundario, et propter excellentiam increatam Verbi, seu suppositi, n. maj., et conc. min, in data dist. n. consm. Cum Christi humanitas, non humana, sed subsistentia Verbi Divini subsistat; unde non duae, sed una sit Christi persona, nempe Verbi, et non duo, sed unus sit Christus; ideo cum Verbi Divini persona adoratione Latriae adorari debeat, eadem quoque adoratione humanitas Verbo unita, in unitate personae adorari debet. In Christo namque Divinitas, et hu-

manitas separari ab invicem nequeunt, ut haec una, illa alia adoratione adoretur; tunc quidem duo, non unus esset Christus. Humanitas itaque non adoratur primario, et per se ut Deus, sed secundario, et propter increatam excellentiam Verbi sui suppositi.

§. 695. *Contra.* Atqui Humanitas, nec etiam ut Verbo unita, adoratione Latriae adorari debet; Ergo n. r. Prob. subsm. Humanitas etiam Verbo unita non desinit esse creatura; Ergo etc.

§. 696. R. cum S. Athanasio (In Epistola ad Adelphium): » Nos creaturam non adoramus; absit. » Ethnicorum enim, et Arianorum est hujusmodi » error. Sed rerum creatarum Dominum, carnem » factum, Dei Verbum adoramus. Etsi enim ipsa » caro seorsum spectata, pars sit rerum creatarum, » attamen Dei facta est corpus. Neque vero hujus- » modi corpus a Verbo dividentes adoramus, atque » cum Verbum volumus adorare, ipsum a carne » removemus » (1).

Quaeres. *Utrum humanitas Christi, etiam in abstracto considerata coli debeat absoluta adoratione Latriae?*

§. 697. R. negative. Nam ego, ajebat S. Augustinus (Ser 58. de verb. Dom:) » Dominicam » carnem, imo perfectam in Christo humanitatem » propterea adoro, quod a Divinitate suscepta, at- » que Deitati unita est, ut non alium, sed unum » eumdem Deum et hominem Dei filium confitear. » Denique si hominem separaveris a Deo, ut Pho- » tinus, vel Paulus Samosatenus; illi ego nunquam » credo, nec servio; velut si quis vestem, aut pur- » puram, aut diadema regale jacens inveniat, num- » quid ea conabitur adorare? Cum vero ea Rex fue-

(1) *Vid.* Frassen *de Adorat. Christi.* Antoinè de *Incarn. Cap.* VII. Dupasq.

» rit indutus, periculum mortis incurrit si ea simul » cum Rege quis adorare contempserit; ita etiam in » Christo Domino humanitatem non solam, aut nu» dam, sed Divinitati suae unitam, unum Dei fi» lium verum Deum et hominem verum qui adorare » contempserit, aeternae mortis pœnam patitur. » Et sane adoratio Latriae enti debetur propter summam increatam excellentiam (§. 633.); Atqui humanitas Christi, in abstracto considerata, nec Verbo unita, nullam habet hujusmodi excellentiam; Ergo etc.

Quaeres. *Utrum Corpus Christi in triduo mortis, Latriae cultu adorandum esset?*

§. 698. R. affirm. Nam si Latriae adoratio carni Jesu Christi non competit, nisi quia a Divinitate fuit suscepta, atque est Deitati unita, ut ait S. Augustinus (§. 697.); sicuti Divinitas a corpore Christi in triduo mortis non fuit separata (1), sed cum eo unita, ita et corpori Christi in triduo mortis, Latriae adoratio debita fuisset. Nam Christi humanitatem, quam semel assumpsit Verbum, numquam dereliquit; quare in triduo post mortem, corpori Christi etiam verbi persona fuit unita, et propterea Christi carni in illo triduo, Latriae cultus debetur.

Quaeres. *Num cultu Latriae Crux Christi, et cætera ejusdem sacratissimae passionis instrumenta coli possint, et debeant?*

§. 699. R. 1. Crux in qua Christus pependit tripliciter considerari potest; vel nempe 1. una cum Jesu Christo in ipsa affixo, vel 2. seorsim inspecta, et ut fuit instrumentum mortis Christi, atque hinc non solum decorata contactu membrorum, sed madefacta sanguine Domini, vel tandem 3. ut est imago Jesu Christi crucifixi. Priori modo inspecta, adoratione latriæ adoranda est; quia crucem cum Jesu

(1) *Vid.* S. Bonaventura P. IV. Brevil. *Cap.* IX.

affixo adorantes, Christum adoramus; sed Christo adoratio latriæ debetur (§. 691.); ergo et Cruci. Atque in hoc sensu crucem considerans Ecclesia canit (Hymno in 1. Vesp. Invent. S. Crucis): *O Crux ave, spes unica . . . . piis adauge gratiam, reisque dele crimina*; et alibi (Ibid. Ant. ad Magn.): *O Crux splendidior cunctis astris . . . Sanctior universis: quae sola fuisti digna portare talentum Mundi . . . . salva præsentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam.* Crucem ergo adorando Ecclesia cum Christo ab ipsa pendente, Christum adorat; neque enim Crux lignea ratione, ac sensu pollet, ut possit nostras preces audire, nostrisque laudibus delectari. Secundo modo inspecta, cultu quidem latriae, sed respectivæ adorandam esse dicimus. Nam cultus absolutus ei exhibetur, qui habet propriam excellentiam intrinsecam; unde et soli substantiæ rationali convenit (§. 688.); Crux autem non habet propriam excellentiam intrinsecam, nec est substantia rationalis, sed materialis, illamque excellentiam quam habet, atque illum decorem, quo fulget, obtinuit ex contactu membrorum, et sanguinis Christi; Ei ergo adoratio respectiva debetur; ob relationem nempe quam habuit ad Christum; Sed adoratio Christo debita est adoratio Latriæ; Ergo adoratio latriæ respectivae etc. Tertio tandem modo inspecta, adoranda est ea adoratione, qua coluntur imagines; Sed imagines, ut infra dicetur, adorantur cultu relativo; Ergo et tali adoratione adoranda est Crux; Atqui imago Christi adoranda est cultu latriæ respectivæ; Ergo et tali cultu etc. Atque hoc etiam cultu, aliæ Cruces quaecumque, Christi imaginem repræsentantes, adorandæ sunt; hoc tamen cum discrimine, quod vera Christi Crux, non solum integra adoratur, sed omnes, et singulæ ejus particulæ, eadem adoratione adorantur, idque ob excellentiam, quam obtinuerunt ex contactu membrum Christi; aliae vero Cruces in tantum adoran-

tur, in quantum ad repraesentandum Christum Crucifixum ordinatæ sunt; unde si mille Cruces inveniantur ad alios fines destinatæ, nulla meretur adorationem.

§. 700. R. 2. Spinae, clavi, lancea, vestes etc. eodem cultu latriæ respectivæ adorari debent; Unde S. Joannes Damascenus postquam dixit (Apud Frassen de Crucis venerat. Cap. I.), Lignum Crucis merito est adorandum, subjungit: nec non clavi, lancea, vestes etc. adorandas esse. Et sane, aut prædictis instrumentis adoratio debetur, aut nulla; si nulla; ergo errat Ecclesia ea venerando; quod est falsum; Si debetur; Ergo et adoratio latriæ respectivæ, quia illa non propter se, sed propter Christum, ad quem habent relationem adorantur.

Dices I. Non bene se gereret filius, honorem præstando Patris amantissimi patibulo; Ergo non bene se gerunt Christiani Crucem colendo.

§ 701. R. dist. ans. Non bene etc., si Pater ipse non elegisset patibulum, veluti instrumentum ad filios a captivitate liberandos, eosque regia dignitate et maximo honore ditandos, n., si patibulum Patris, infamiam, et alia mala filiis contulisset, conc. Ergo etc. n. consm. Christus Dominus a seipso Crucem elegit, et in ea oblatus est, quia ipse voluit, ut Satanae, qui in ligno vetito vincebat, in ligno a se suscepto vinceretur. Revera per Crucem Christus Mundum redemit, homines Deo Patri reconciliavit; Adæ debitum solvit; nosque Dei fecit, atque Regni Cælestis cohaeredes; insuper ipsemet per mortem Crucis, a Deo Patre exaltationem obtinuit, et nomen quod est super omne nomen. Si igitur tot bona a Cruce Domini obtinuerunt Christiani, optime quidem se gerunt, Crucem adorando.

Dices II. Si Cruci, Clavis etc. deberetur cultus latriae, multo magis deberetur B. Virgini Mariae, quae majorem habuit, atque intimiorem rela-

tionem et habitudinem ad Christum; Atqui talis cultus Virgini Mariae non debetur; Ergo nec etiam Cruci, Clavis etc.

§. 702. R. Cum Crux, Clavi etc.: non habeant propriam excellentiam, nec sint substantiae intellectuales, cultu respectivo, et non absoluto coli possunt; et quia habitudinem habent ad Christum, qui latriae adoratione adorari debet, cultu Latriae respectivae adorantur. Beata autem Virgo Maria, quia substantia intellectualis, et intrinseca excellentia prædita, adoratione absoluta adorari debet; quae utique latria esse nequit, quia illius excellentia non est increata (1).

CAPUT IV.

De Cultu, qui Sanctis, et Deiparæ debetur.

§. 703. *Animad.* Sanctos cum Christo regnantes religioso cultu prosequendos non esse, in primis Manichaei docuerunt. Eumdem errorem impudenti audacia divulgarunt Eunomius, Eustatius, Vigilantius, et Claudius Taurinensis, nec non Boemi, Waldenses, Wiclefitae, Lutherus, OEcolompadius, Centuriatores Calvinistae, et alii non pauci (2). Contra quos semper stetit Ecclesia Catholica. Quod vero ad B. Virginem Mariam peculiariter attinet, Saeculo IV. fuerunt quidam Haeretici, qui Mariam Virginem cultu latriae absoluto adorandam esse dixerunt; quare in sacrificium offerebant ei collyridam, seu placentam;

---

(1) *Vid.* Frassen *de Vener. Crucis etc.* Boyvin *De Incarn. Cap. XIII. de Adorat.* Dupasquier *Tomo VI. q. III.*

(2) *Vid.* Coccius *Lib. V. de Sanctis Art. VII.* Bellarminus etc.

unde et Collidyriani dicti fuerunt, Massiliani e contra, Mariam Virginem nullo dignabantur honore. Constantinus Copronymus, illam aliis fœminis similem in dignitate fecit, postquam Jesum enixa fuit; nullo proinde cultu prosequendam. Lutherus, et Calvinus indigne ferentes Catholicos, Deiparam summo in honore habere, eamque religiose colere, imprudenter eos, veluti Christo injurios, et idololatras accusant, eo praesertim quod in Mariam se spem ponere dicant. Unde Joannes Œcolompadius aperte veritus non est dicere, Mariae venerationem cultum idolorum esse. Verum ut os occludatur loquentium iniqua, et veritas magis elucescat, sit:

PROPOSITIO I.

Angeli, et Sancti cum Christo regnantes, cultu religioso digni sunt.

§. 704. Prob.: Angeli sunt Dei ministri, qui Domino adstant, faciuntque ejus voluntatem; Sancti sunt amici Dei, in gaudium Domini sui jam ingressi; Atqui justum, atque rationabile est, ut cultu religioso digni habeantur Ministri, et amici Dei; Ergo etc. Prob. min.: In Libro Regum (I. Cap. II. v. 30.) ait Deus: *Qui honorificaverit me honorificabo eum*; et Christus Dominus apud (Joannem Cap. XII. v. 26): *Si quis mihi ministraverit honorificabit eum Pater meus*; Unde jam dixerat David (Psalmo 138.): *Nimis honorati sunt amici tui Deus*; Atqui Angeli, et Sancti sunt Dei amici, Deum honorificant, Deoque ministrarunt; Ergo a Deo honorificantur; et consequenter justum, et rationabile est etc.

§. 705. Prob. II. ex Patribus. S. Justinus Martyr (Apologia II.) haec habet: » Sed et Deum Patrem, et ejus Filium, qui venit, nosque haec do-

» coit, et aliorum sequentium, similiumque bonorum » Angelorum exercitum . . . colimus, atque adoramus, verboque et re, seu veritate veneramur, idque omnibus, qui discere volunt, ut docti, institutique sumus, copiose tradimus ». S. Augustinus ita scribit (Lib. XX. C. Faustum Cap. XXI.): « Populus Christianus memorias Martyrum religiosa » solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur ». Tandem S. Ambrosius (Serm. VI.) « Quisquis, *ait*, honorat Martyres honorat et » Christum, et qui spernit Sanctos, spernit et Dominum »; Ergo etc.

§. 706. *Objic.* Sanctis, et Angelis honor debetur at non cultus religiosus; nam cultus religiosus soli Deo debetur; Ergo falsa propositio.

§. 707. R. Sanctis, non quilibet cultus sed cultus religiosus debetur. Nam Sancti a nobis coluntur ob excellentias supernaturales, quas a Deo obtinuerunt; Sed cultus, qui alicui ob excellentiam supernaturalem praestatur est cultus religiosus (§. 633.); Ergo etc. Quod vero soli Deo cultus religiosus debeatur, id intelligendum esse de supremo latriae cultu religioso, satis patet ex dictis.

§. 708. *Contra.* Atqui nullius omnino religiosus cultus Angelis, et Sanctis debetur; Ergo n. r. Prob. subsum. Joanni volenti Angelum cultu religioso adorare, Angelus prohibuit, dicens (Apocal. Cap. XIX. v. 20.): *Vide ne feceris . . . Deum adora*; Ergo et.

§. 709. R. Angelus Joannem prohibuit ne sibi latriae adorationem impenderet, qua ille Jesum Christum adorare solebat. Cum namque Jesus multoties in forma visibili Joanni apparuisset, putans Joannes, illum qui tunc sibi apparuerat esse Christum, adorare volebat cultu latriae; quod cum Angelus cognovisset, illi prohibuit, dicens *Deum adora*; quasi diceret: non sum ego Christus, quem tu soles latriae cultu adorare, sed conservus tuus, et Jesu Christo,

ut tu es, subditus; non ergo mihi debes latriae adorationem præstare.

PROPOSITIO II.

Angelis, et Sanctis cum Christo regnantibus, cultus duliæ absolutæ debetur.

§. 710. Prob.: Angelis et Sanctis cultus religiosus debetur (§. 704.); Sed hic cultus non est latriae (§. 633.), quia hic soli Deo debetur; Ergo est cultus duliae, et quidem absolutae. Prob. cons. Adoratio absoluta exhibetur personae propter intrinsecam supernaturalem excellentiam quam habet (§. 688.); Atqui Angeli, et Sancti habent intrinsecam supernaturalem excellentiam, creatam licet; gratia nempe santificante, et gloria ditati sunt; Ergo etc.

PROPOSITIO III.

BB. Virgini Mariæ absolutus Hyperduliæ cultus debetur.

§. 711. Prob.: Illi debetur absolutus hyperduliae cultus, qui Deo quidem est inferior, sed habet excellentiam creatam eminentiorem aliis intellectualibus creaturis (§. 633.); Atqui talis est BB. Virgo Maria; Ergo etc. Prob. min. Virgo Maria, ait Angelicus Doctor (Opusc. IV.), *Angelos in tribus excessit, in quibus cæteros homines excedebat; nempe plenitudine gratiæ, familiaritate Dei, et puritate.* Ac 1. *plenitudine gratiæ;* nam ipsa ait S. Ambrosius (Lib. II. de Instit. Virg.), *a nullo illustrium Sanctorum vincitur in privilegiis gratiæ; et bene gratia plena dicitur, quia gratiam consecuta est* (Idem in Cap. II. Lucae.), *quam nulla alia meruerat*; Et sane, scribit S. Hieronymus (Ad Paulam.), *cæteris per*

partes præstatur, *in Mariam autem*, *totius gratiæ quæ in Christo est plenitudo venit*. Secundo *familiaritate Dei*; Nam ipsa fuit Mater Dei, quae namque intimior familiaritas esse potest creaturae cum Deo, quam illa quae mater habet cum filio? Merito Augustinus (Lib. III. de Symb. ad Cathecum), *tanta* inquit, *est Virginis dignitas*, *eo quod Mater Dei sit*, *ut plane excedat non solum omnium hominum dignitatem*, *sed etiam Angelorum*. Tertio tandem *puritate*. *Quæ enim vel Angelica puritas*, inquit S. Bernardus (Serm. de Assump.) *illi audeat comparari*, *quod digna fuerit Spiritus Sancti Sacrarium fieri*, *et habitaculum Filii Dei*.! Tota pulchra, Sancta, et immaculata a primo Conceptionis suae instanti, tantum gratiae illi concessum fuit, ait S. Augustinus (Lib. de Nat. et Gratia.), *ut vinceret* ex omni parte peccatum; Et *decuit* quidem, scribit S. Anselmus (Lib. de Concept. Virg. Cap. 18.), *Virginem ea puritate nitere*, *qua major sub Deo nequit intelligi*. Pura et Sancta mente, et corpore *Maria mater electa est*, ait S. Augustinus (Apud Ricci pag. 145. Disc. 3.), *ut de mundissima*, *mundissimus filius nasceretur*; *quo*, subscribit S. Bernardus (Serm. IV. de Assumpt.), *nec primam similem visa est*, *nec habere sequentem*, *gaudia matris habens cum Virginitatis honore*. *Mariæ privilegium est non dabitur alteri*. Ergo etc.

Quæres. *Utrum pie ac religiose erigantur Oratoria*, *et Basilicæ memoriæ Deiparae*, *Martyribus*, *ac Sanctis reliquis*?

§. 712. R. affirm.: Nam Constantinus Imperator, ut refert Eusebius (Lib. IV. Vitæ Constant. Cap. 60.) *Ecclesiam Apostolis dedicavit*, *quamplurimum utilitatis illorum memoriam animae suæ conciliaturum existimans*; et teste Timotheo Alexandrino (Narrat de Martyre Menna), alias quoque Ecclesias jussit aedificari in nomine omnium Sanctorum. Theodo-

sius Imperator, ut refert Sozomenus (Lib. VII. Cap. XXIV.), Ecclesiam S. Joannis Baptistae crexit. Eudoxia (Ex Cyrillo Eremita in vita S. Euphemii.), quamplurima Templa Deo aedificavit, dedicavitque primum Templum S. Stephani Protomartyris. Justinianus Imperator, ut scribit Procopius Caesariensis (Orat. de Ædificiis Justiniani): Dei Genitricis passim per Romanum Imperium multas aedes consecravit adeo plane magnificas, et praestantes, tamque ingenti pecuniarum acervo constructas, ut si quis unam dumtaxat aedem conspexerit, hoc solum opus ab ipso elaboratum existimabit, nec non et alia Templa aliis Sanctis erexit. Justinianum imitata Theodora ejus conjux, Templum discipulis Christi condidit (Constantinus Manasses in Annal. de Justin.). Joannes Ducas, et Irene Imperatrix, ut scribit Nicephorus Gregoras (Hist. Byzant. Lib. II.), Templa elegantissima, maximis sumptibus, amplitudine, et varietate structurae insignia aedificarunt tam Virgini Mariae, quam aliis Sanctis. Idipsum fecerunt per universum Orbem alii Imperatores et Reges non solum, sed et Pontifices, et Episcopi, et Sancti viri non pauci, et Locorum universitates, uti experientia notum est. Et certe ajebat S. Joannes Damascenus (Lib. IV. Orthod. Fidei Cap. XVI.): *Honorandi sunt Sancti, et quidem ita ut in eorum nomine templa Deo extruamus, dona offeramus, eorumque memoriam colamus* (1).

Dices. Latriae cultus est Ecclesias, et Templa Deo aedificare; ergo soli Deo, et non aliis Sanctis templa aedificari possunt.

§. 713. R. Cum nos erigimus Ecclesias, Oratoria etc., easque dicimus dedicare Sanctis, vere et proprie non erigimus, neque aedificamus nisi Deo,

(1) *Vid.* Coccius *Lib. V. de Sanctis Art.* XIII.

ob memoriam tamen, et honorem Sanctorum; Quare soli Deo latriae cultum, Templorum erectione, praestamus, Sanctis vero honorem et cultum duliae.

Quaeres. *Utrum pie, ac religiose instituta sint festa in honorem Deiparæ, aliorumque Sanctorum?*

§. 714. R. Adfirm.: Nam pie illud et sanctum institutum est, quod in Dei gloriam, et Sanctorum honorem redundat; quod nobis utilitatem spiritualem, atque etiam temporalem affert; Atqui talia sunt Festa ab Ecclesia in honorem Deiparae, aliorumque Sanctorum instituta: Ergo pie, ac religiose etc.: Prob. min.: Et quoad primum. Festa Sanctorum in Dei gloriam redundant. Nam cum Sancti quidquid donorum, et gloriae habent; quidquid boni atque perfecti in hac vita fecerint, aut adversi ob virtutis, et Dei amorem sustinuerint, totum a Deo recognoscant, a quo omne bonum descendit, profecto eorum festa celebrantes, et eorum gesta recolentes, recordamur operum Dei, et eorum quae Deus illis elargitus est; unde dum illos honoramus, Deum in illis glorificamus, ejus potentiam, misericordiam, largitatem etc. admiramur, et colimus; et colendo talia Dei attributa, et quanta fecit Deus Sanctis suis, magis ejus amore accendimur, fide roboramur, et spe erigimur, fore ut Deus similia nobis elargiatur, ut et in nobis quoque glorificetur. Deinde Festa Sanctorum magnam nobis afferunt utilitatem spiritualem, atque etiam temporalem: *quotiescumque*, ait S. Augustinus (Sermo XLVII. de Sanctis.), *Sanctorum Martyrum solemnia celebramus, ita, ipsis intercedentibus, expectemus a Domino consequi temporalia beneficia, ut ipsos Martyres imitando accipere mereamur æterna*; et S. Joannes Chrysostomus (Orat. de Martyribus.): *Nemo est qui nesciat, Martyrum glorias ad hoc divino consilio a Dei populis frequentari, ut et illis habitus honor dicetur, et nobis virtutis exempla, favente Christo monstrentur?* Sane cum Sanctorum festa percolimus,

ad imitandas eorum virtutes incitamur, quippe perspicimus quod si illi, eadem qua nos infirmitate circumdati, Dei adjutorio, ad sanctitatem pervenire potuerunt, simili adjutorio idem et nos consequi posse; Ergo etc. (Vid. Coccius ut supra Art. XIV.).

Quæres. *Num proprie Deiparæ ac Sanctis cum Deo regnantibus vota nuncupari possint, aut improprie tantum?*

§. 715. R. improprie tantum. Nam cum votum sit proprie actus Religionis, seu latriæ, soli Deo est debitus. Quoties ergo vota emittimus B. Virgini, aut aliis Sanctis, intelligimus vovere Deo in honorem Beatae Virginis Mariae, aut Sanctorum, non secus ac cum templa B. Virgini, aut Sanctis dedicantur, soli Deo dedicari intelliguntur; in honorem tamen Virginis, et Sanctorum (§. 712.).

CAPUT V.

De Sanctarum Reliquiarum cultu.

§. 716. Sanctarum reliquiarum nomine Sanctorum ab Ecclesia Catholica approbatorum corpora intelligimus, eorumque partes, licet parvas, atque eorum cineres; item vestes, et alia hujusmodi, quibus ipsi speciali ratione usi sunt.

§. 717. *Schol.* Hujusmodi reliquias nulla esse veneratione dignas iidem Hæretici docuerunt, qui Sanctis cultum, et venerationem denegarunt (§. 703.). Ac Vigilantius quidem Sanctarum Reliquiarum cultum, ritum Gentilium appellat, sub praetextu religionis in Ecclesias introductum. Joannes Wiclefus, Sepulchra Sanctorum mortuorum illusionis objecta vocavit; Guilhelmus Albus Wiclefi discipulus, adorantes sacras Reliquias idololatriam committere asseruit. Martinus Lutherus, odio erga sacras Reliquias tam vehemenefferbuit, ut diceret: *Vellem terra omnes istas re-*

liquias contectas esse. Joannes Calvinus eo dementiae pervenit ut effutiret, sacrarum reliquiarum cultum, non solum superstitione non carere, sed Idololatriae matrem esse. Tandem alii Haeretici non solis verbis, sed et factis in mortuos Sanctos saevientes, eorum corpora vel igni tradiderunt, vel in mare projecerunt vel pedibus conculcarunt. Contra quos stant Catholici omnes. Sit proinde.

PROPOSITIO I.

Sanctorum cadavera tam in Veteri, quam in Novo Testamento speciali cura, et honore sepulturæ tradita sunt.

§. 718. Prob. Abraham Patriarcha videns quod Sara uxor sua obierat, emit ab Ephron, quadringentis siclis argenti speluncam duplicem, atque ibi sepelivit eam cum honore (Genesi Cap. XXIII. v. 26. et seq.). Cernens Joseph objisse patrem suum . . . praecepit servis suis medicis, ut aromatibus condirent eum (Ibid. Cap. I. v. 2. et seq.); et obtenta licentia a Pharaone, cum fratribus suis, et comitatu multo, illius corpus asportavit in terram Chanaam; et in eadem spelunca duplici, in qua sepulta fuerat Sara, sepelivit illud. Sed et in Novo testamento frequentissima sunt, et communia hujusmodi exempla. Cum Judaei Stephanum Levitam lapidassent, viri timorati curaverunt corpus ejus (Actorum Cap. VIII. v. 7.), quem morem ad nostram usque aetatem fideles prosequutos semper fuisse, Ecclesiasticae historicae, et illustria ubique nota monumenta testantur. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Sacrae Sanctorum reliquiae summo studio semper a fidelibus fuerunt conquisitae, atque asservatae.

§. 719. Probatur historicis monumentis. Ecclesia Smirnensis ad Ponti Ecclesias scribens, ait. » Nos » Divi Policarpi ossa potiora lapillis pretiosis, auroque » puriora; ex cineribus sublata, eo loco reposuimus, » qui illis erat decorus, consentaneusque. Hesychas, ut refert Sozomenus (Lib. III. Cap. XIII.), Reliquias Hilarionis clam abreptas deportavit in Palestinam. Pulcheria Imperatrix inventis Sacris quadraginta Martyrum Reliquiis, Deo preces gratulatorias fundebat, postea pretiosissima theca Martyres honoratos, juxta venerabilem Tyrsum composuit, publica festivitate, ut aequum erat, cum debito honore ac pompa, ac psalmodiis celebrata (Idem Lib. IX. Cap. II.). S. Euthymius, uti schribit Cyrillus Eremita, splendidam, et magnificam fecit dedicationem, deponens sub ara quasdam partes Reliquiarum Martyrum Tarachi, Probi, et Andronici. Cum S. Simeonis Corpus Antiochiam delatum fuisset, illud ut refert Evagrius (Lib. I. Cap. XIII.), Leo Imperator ab Antiochenis petivit, qui responderunt ei: Quoniam Civitas mænibus caret (Imperatoris namque furor ea diruit), sanctissimum Simeonis Corpus huc asportavimus, ut nobis et muri, et munimenti loco sit. S. Ambrosius: *Condant alii*, inquit (Exhort. ad Virg.), *aurum, et argentum. Legant pretiosa monilium serta: temporalis ille thesaurus est, et sæpe habentibus perniciosus; nos legimus Martyris clavos et multos quidem.* Idipsum innumeris constat documentis, atque exemplis usque ad nostram aetatem; Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Multi Sancti post mortem apparuerunt, sua corpora vel Reliquias revelarunt, et quo loco humari ea vellent, indicarunt.

§. 720. Prob. Historia Ecclesiastica S. Sebastianus Martyr, cum post mortem corpus ejus projectum fuisset in cloacam, ter in somnis Lucinam admonuit ubi esset, et quo loco humari vellet. Imperante Honorio, S. Gamaliel, Luciano Presbytero apparens, commonstravit locum, in quo jacebat corpus suum cum corporibus S. Stephani Protomartyris, Nicodemi, ed Abibonis, eique imperavit ut Joannem Jerosolymorum Anthistitem adiret, ageretque cum eo, ut honestius illa corpora sepelirentur, quod et factum fuit. S. Ambrosius, Dei monitu, cognovit ubi corpora essent SS. Gervasii, et Protasii, eaque inventa in loco sacro et insigni collocanda curavit; Deo similiter revelante, invenit conspersa recenti sanguine corpora SS. Nazarii, et Celsi, atque in urbem translata, honorifico sepulchro contegi fecit. S. Joannes Baptista, ut refert Marcellinus Comes (Apud Coccium Lib. V.), caput suum duobus Orientalibus Monachis revelavit, ut ad Herodis quondam Regis habitaculum accedentes, requirerent, fideliterque humo extollerent. S. Rosa Viterbiensis, ter in somnis admonuit Summum Pontificem ut refoderet corpus ejus, et ad Monasterium S. Mariae de Rosis, ut vivens praedixerat, transferret; quod idem de aliis quamplurimis legitur. Ergo etc.

PROPOSITIO IV.

Deus ad Sanctorum sepulchra, et in Sanctorum Martyrum Reliquiis mirabilia, et stupenda prodigia operatus est, atque operatur.

§. 721. Prob. Cum cadaver cujusdam in sepulchro Elisei projectum, ejus ossa tetigisset (Lib. IV. Regum Cap. XIII. v. 11.), *revixit*, *et stetit super pedes suos*. De Corporibus SS. Apostolorum Petri, et Pauli, refert Gregorius Magnus (1), quod tantis miraculis, atque terroribus in suis Ecclesiis coruscabant, ut neque ad orandum, sine magno illic timore, posset accedi; et de SS. Processo, et Martiniano scribit, quod ad extincta eorum corpora ægri veniunt, et sanantur. Ad sepulchrum SS. Martyrum Protasii, et Gervasii Mediolani, refert S. Augustinus, caecum illuminatum (Lib. XXII. de Civit. Dei Cap. VIII.); atque in translatione Reliquiarum S. Stephani, multa miracula patrata fuisse. De corporibus SS. refert S. Joannes Damascenus (Lib. IV. de Fide Orthodoxa Cap. XVI.), quod per ea *Dæmones expelluntur*, *morbi profligantur*, *ægroti sanantur*, *cæci perspiciunt*, *leprosi mundantur*, *tentationes*, *et mærores discutiuntur*. De S. Didaco, legitur (In ejus officio Antiph. ad Ben.): *Ad S. Didaci corpus surdi audiunt*, *muti loquuntur*; *paralitici sanantur*, *ab obsessis corporibus Dæmones expelluntur*, *ægroti ad vitam ab ipso mortis limine revocantur*. Tandem, quin plura prosequamur, praeclarum est prodigium illud, quod in sanguine S. Januarii Martyris Neapoli oculis patet; quod nempe; cum ejus sanguis, qui in ampulla vitrea concretus

(1) *Lib. III. Epist. 3. ad* Constantiam Augustam.

asservatur, in conspectu capitis ejusdem Martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri, et ebullire, perinde atque recens effusus cernitur. Ergo etc.

PROPOSITIO V.

Sanctarum Reliquiarum cultus non est prohibitus.

§. 722. Prob. Si Sanctarum Reliquiarum cultus fuisset illicitus, et prohibitus, Viri probi, et fideles omnium sæculorum, Sanctorum corpora non curassent, nec eorum Reliquias requisiyissent, nec requisitas summo studio, tanto honore asservassent; Atqui a fidelibus SS. corpora honorifice sepulta sunt (§. 718.); atque eorum Reliquiæ magno studio conquisitæ, et honorifice asservatæ (§. 719.); Ergo etc. Deinde Sancti plurimi sua corpora, et reliquias revelarunt, et ubi sepeliri ea vellent aperuerunt (§. 720.); Atqui si cultus reliquiarum fuisset prohibitus, Sancti hoc non fecissent; Ergo etc. Tandem Deus nequit miraculis cultum superstitiosum, et prohibitum confirmare; Atqui venerationem Reliquiarum confirmavit, et confirmat miraculis, quæ ad SS. sepulchra operatur (§. 721.); Ergo etc.

PROPOSITIO VI.

Sanctarum Reliquiarum cultus utilis maxime est.

§. 723. Prob. Per cultum Reliquiarum innumera in nos a Deo promanant beneficia, et stupenda patrantur miracula (§. 721.), adeo ut dixerit Damascenus (Lib. IV. de Fide Orthodoxa, ut supra.); Christum Dominum Reliquias SS. nobis præbuisse tamquam beneficiorum salutiferos fontes; Ergo etc. Deinde cultus Reliquiarum est Deo acceptus, qui vult suos amicos et servos a nobis honorari; et ad Deum

refertur, qui mirabilis in Sanctis suis manifestatur, quique in illis præsidium nobis posuit, et exemplum; Atqui facere quod Deo placet est utile; Ergo etc. Quare Isidorus Pelusiota: *Si te offendit*, ait (Lib. I. Epist. 55.), *quod Martyrum corporum cinerem, propter eorum circa Deum charitatem atque constantiam honore afficiamus: eos, qui ab ipsis medicinam accipiunt, interroga, atque quot morbis remedium afferant, intellige. Sic fiet, ut non modo id, quod a nobis fit, non irrideas, verum etiam quod recte, et cum laude fit imiteris.* Ergo etc.

PROPOSITIO VII.

Sacrarum Reliquiarum cultus est præceptus.

§. 724. Prob. ex Conciliis. Concilium Nicænum II. (Can. VII.) statuit; nullum Templum consecrandum esse sine Reliquiis, sub pœna depositionis contrafacientibus. Concilium Epaunense (Cap. XXV.) prohibuit poni Reliquias in Oratoriis villaribus, nisi forsitan Clericos cujuscumque parochiæ vicinos esse contingeret, qui sacris cineribus psallendi frequentia famularentur. Concilium Bracarense III. (Cap. V.) jussit ut Levitæ Arcam cum Reliquiis gestarent in humeris, non Episcopi fastus, et jactantiæ causa. » » Quod si et Episcopus Reliquias per se deportare » elegerit, non ipse a Diaconis in sellula vehatur, » sed potius pedissequa una cum populis progressione » procedente ad conventicula sanctarum Ecclesiarum » Sanctae Dei Reliquiae per eumdem Episcopum portabuntur ». Concilium Moguntinum (Cap. 51.) ait, Corpora Sanctorum de loco ad locum nullus praesumat transferre sine consilio Principis, vel Episcoporum, vel S. Synodi licentia. Idipsum patet ex Conciliis Lateranensi (Cap. 62.), et Tridentino

(Sess. XXV.); in quibus modus praescribitur Sacras Reliquias exponendi, atque colendi; Ergo etc. (1).

§. 725. *Objic.* Deus, Moyse mortuo, voluit occultatum ejus sepulchrum: idque ne cultu religioso a Judaeis prosequeretur: Ergo Reliquiarum cultus est a Deo prohibitus.

§. 726. R. dist. ans. Deus etc. cultu Latriae conc. ans., cultu religioso quidem, sed duliae, n. ans. cum consa. Quoniam Judaei, moribus Ægyptiorum imbuti, proni erant ad idololatriam, ut eis omnis idololatrandi tolleretur occasio, voluit Deus occultatum Moysis sepulchrum. Et sane, si Judaei coluerant in Ægypto animalia vilia; si dum Dominus in Sina dabat eis legem per Moysen, et cunctus populus videbat voces, ipsi petierunt Deos, et vitulum aureum adoraverunt, quanto magis cultu Latriae adorassent corpus illius viri, per cujus manus facta fuerant tanta prodigia, et ipsi a servitute Pharaonis liberati, in terram fluentem lacte, et melle introducti?

§. 727. *Contra.* Atqui ideo Deus voluit occultatum Moysis sepulchrum, ut nullus omnino honor ei tribueretur; Ergo n. r. Tempore Christi ablatus erat a Judeis ille idololatrandi timor, et tamen Christus Dominus, Judaeos reprehendit, quod magnifica sepulchra Prophetis aedificarent; Sed hoc Christus non fecisset si aliquis cultus religiosus corporibus, et Reliquiis Sanctorum tribui posset; Ergo etc.

§. 728. R. Christus non reprehendit Judaeos præcise quia aedificabant sepulchra Prophetarum, sed quia pravo fine id faciebant, ex hypocrisi nempe, et ut pios erga Prophetas se ostendentes, facilius possent ipsum Prophetarum principem persequi. Ideo dicit eos consentire factis suorum Majorum, qui Pro-

(1) *Vid.* Coccius *Lib. V. de Sanctis.* Bellarminus *De Incarn. Lib. II.* Petavius *Lib. XIV. de Inc.*

phetas occiderunt; consentire nempe ob voluntatem pravam, quam habebant, Christum occidendi.

Dices. Concilium Eliberitanum (Can. 30.) prohibuit ne cerei accenderentur per diem in caemeteriis, *Spiritus Sanctorum*, inquit, *non sunt inquietandi*; et S. Hieronymus ait, quod cereos eorum Reliquiis accedunt, *qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam* (Ad Vigilan.); Ergo etc.

§. 729. R. Concilium Eliberitanum ideo prohibuit cereorum accensionem in Caemeteriis, ob periculum, quod tunc erat id faciendi ex Gentilium superstitione, qui cereos accendebant ad evocandas defunctorum animas, quae utique superstitio Sanctis quammaxime displicebat. S. Hieronymus laudato in loco loquitur de illis „ qui cereos accendebant ante Reliquias Martyrum ex superstitione, putantes scilicet, illos ab illis luminibus illustrari (1).

CAPUT VI.

De Sanctarum Imaginum usu, atque cultu.

§. 730. *Def.* 1. *Imago est expressio, vel repraesentatio personae, vel rei subsistentis*, veluti hominis, equi avis etc. **Sic antem est dicta ab imitando.**

§. 731. *Def.* 2. ***Simulacrum** a simulando derivatum, est repraesentatio rei falsae, aut fictae;* **veluti pictura Jani bifrontis, Satyri etc.**

§. 732. *Def.* 3. ***Idolum*** **vero, ex Theodoreto (Q. VIII. in Exod.)**, ***est repraesentatio rei insubsistentis;*** unde ab Apostolo *nihil* **vocatur**; ***Scimus enim***, *inquit* (I. ad Corinth. Cap. VIII. n. 4.) *„quia nihil est Idolum in Mundo*; quod enim non subsistit, nihil **est.**

§. 733. ***Coroll.*** Imago itaque ab idolo differt;

---

(1) ***Vid*** Coccius ***ut supra.*** Frassen ***de Sanct. Reliq.*** Antoinè ***de Incarn. Art. VII.*** Bellarminus.

et a simulacro. Nam illa est repraesentatio rei veræ, ista autem, aut fictae et falsae, aut insubsistentis. Quare Imagines Christi, atque Sanctorum idola dici nequeunt. Porro circa Sanctarum Imaginum usum, et cultum.

Varii fuerunt Romanæ Ecclesiæ hostium errores.

§. 734. Ac primo Judaei, Sanctorum atque Angelorum Imagines pingi non posse, neque in Templis collocari posse dixerunt; Hos postea sequuti fuerunt Mahumetes, Leo Isauricus, ejusque Filius Constantinus Copronymus; qui propterea omnes Imagines e Templis amoventes, vel fregerunt, vel igni tradiderunt. Nec minori audacia bellum Sacris Imaginibus intulerunt Leo Armenus, Michael Balbus, et Theophilus Imperator in Oriente; in Occidente autem Claudius Taurinensis, Wicclefus, Andreas Carlostadius, Philippus Melacthon, Zuinglius, Calvinus, aliique Novatores; contra quos Catholici omnes invictissime certantes, gloriose triumphant.

PROPOSITIO I.

Deus in antiqua Lege non omnem prorsus Imaginem pingere, aut sculpere vetuit.

§. 735. Prob. Deus jussit fieri Imagines Cherubim super Arcam (Exodi Cap. XXV. v. 18. 19.); Similiter Hebraei, ex ipsius Dei praecepto (Numer. Cap. XXI. v. 8. 9.), serpentem æneum efformarunt; Ergo etc.

Dices. In Exodo (Cap. XX. v. 4.) ait Deus: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in Cælo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra;* Ergo Deus etc. omnem imaginem vetuit.

§. 736. R. dist. ans. Et laudato loco, sicut in aliis, ubi similia leguntur, prohibet Deus omnem similitudinem, quae sit idolum, et adoretur, quasi Numen verum, conc. ans.; quae sit simplex imago n. ans.; cum consa. Non est Deus sicut homo, ut mutetur; Si ergo jussit fieri Imagines, et prohibuit ne fieret sculptile etc., ideo prohibuit, quia sculptile repraesentabat idolum, cui cultus soli Deo debitus, tribuebatur.

PROPOSITIO II.

In Nova Lege SS. Trinitatis statuas, atque Imagines facere licet.

§. 737. Prob. Tres SS. Trinitatis Personas sub humana aut sensibili forma sæpius hominibus apparuisse Sacrae Literae testantur; Ergo eas taliter pingere, aut sculpere possumus. Prob. ans. Persona Patris, Jacobo Patriarchae apparuit scalae innixa (Genes. Cap. XXVII. v. 13.); item Isaiae Prophetae (Cap. v. 1.) in solio sedens excelso et elevato, veluti Rex Magnus; Danieli tandem in forma venerandi senis sedentis in igneo throno ad judicandum (Cap. VII. v. 9.). Persona Filii humanitate assumpta, in terris visa fuit, et cum hominibus conversata. Persona tandem Spiritus Sancti in columbae specie, et ignis apparuit. Ergo sub his formis, atque imaginibus licet eas pingere, aut sculpere. Adeoque etc.

Dices. Deus purissimus est Spiritus, et Ens, quo melius aut simile excogitari nequit; Ergo nulla ejus imago pingi potest.

§. 738. R. dist. cons; Nulla ejus imago, quae exprimat ejus naturam et essentiam, conc.; quæ exprimat formam, vel modum quo hominibus se manifestare dignatus est, n. consam. Cum dicimus Trinitatis imagines pingi posse aut sculpi, non sumus

tam fatui, ut putemus Deo aliquid esse simile in rebus creatis; aut imaginibus, atque sculpturis Dei naturam, et essentiam exprimi posse; *non enim est existimandum*, ajebat Paulus (Actorum Cap. XVII, v. 29.), *auro vel argento, aut lapide artis sculpturæ, et cogitationis hominum Divinum esse simile*, sed contendimus solum, eas personas pingi, aut sculpi posse in iis formis, in quibus apparuerunt; quod certe nec Deo indignum, nec a Deo prohibitum esse potest. Et certe, si non fuit Deo indignum sensibili forma se conspiciendum præbere, cur Deo indignum erit, eum in tali forma pingere, aut sculpere?

PROPOSITIO III.

Angelorum, Christi, atque Sanctorum Imagines sculpere, atque pingere licet.

§. 739. Prob. I. P. Angeli Sacris in Literis, multis in humana forma sæpius apparuisse leguntur; Ergo Angelorum Imagines etc.

§. 740. Prob. II. P. Christus fuit perfectus Deus et perfectus homo; ergo ejus imago pingi potest. Præterea illud est licitum, quod Christus ipse primitus fecit; Atqui Christus imaginem vultus sui, linteo expressam, misit Abagaro Regi Edessenæ Civitatis (Evagrius Lib. IV. Cap. XXV.); aliamque insuper, dum ad mortem duceretur, admoto faciei suæ linteo expressam, piæ mulieri, vulgo Veronicæ dedit, quae hodie adhuc in Ecclesia S. Petri Romæ asservatur; Ergo etc. Tandem ab ipso Ecclesiæ primordio Jesu Christi Imagines fuerunt in usu. Mulier a profluvio sanguinis liberata, Jesu Christo liberatori suo æneam statuam erexit, quam se conspexisse narrat Eusebius Cæsariensis (Hist. Eccl. Lib. VII. Cap. XIV.). Christum sub forma boni pastoris ovem amissam, et

inventam suis humeris ad ovile reportantis in calicibus sculpi testatur Tertullianus; insuper in formam agni fuisse depictum, testatur Synodus Trullensis (Can. 82.); Ergo etc.

§. 741. Prob. III. P. Id est licitum quod Ecclesia semper approbavit; Atqui Imaginum usum Ecclesia semper approbavit, atque retinuit; Ergo etc.

PROPOSITIO IV.

Christi, atque Sanctorum Imagines recte collocantur in Templis.

§. 742. Prob. ex Conciliis. In Concilio Nicæno II. ajunt Patres (Anno 787. Act. 7.): Definimus in omni certitudine ac diligentia, sicuti figuram pretiosæ ac vivificæ Crucis, ita venerabiles ac Sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus, et tessellis, quam ex alia materia congruenter in Sanctis Dei Ecclesiis, et sacris vasis, et vestibus, et in parietibus ac tabulis, domibus, et iis: tam videlicet imaginem Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, quam intemeratae Dominae nostrae Sanctae Dei Genitricis, honorabiliumque Angelorum, et omnium Sanctorum. Concilium quoque Tridentinum, ut alia hic, brevitatis causa praetereamus, decrevit: imagines Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum, in Templis praesertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertinendam; Ergo etc.

Dices. In Concilio Eliberitano legitur (Can. 36.) *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere; ne quod colitur, et adoratur in parientibus depingatur;* Ergo etc.

§. 743. R. Concilium Eliberitanum non omnino prohibuit Imagines esse in Templis, sed ne pinge-

rentur in Templorum parietibus, quia cum ibi depictae amoveri non possent, persecutionis tempore Gentilium, aut Haereticorum ludibrio expositae fuissent, quod sane conveniens non erat.

PROPOSITIO V.

Sacræ Imagines cultu religioso venerandæ sunt.

§. 744. Prob.: Ex Synodo Nicaena II. (Ut supra), Imaginis honor in prototypum resultat, et qui adorat Imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum. Sic enim Sanctorum Patrum nostrorum obtinet disciplina, vel traditio Catholicae Ecclesiae, quae a finibus usque ad fines Evangelium suscepit; Atqui prototypa, seu Sancti, quorum sunt imagines cultu religioso digni sunt (§. 704.); Ergo etc. Concilium insuper Tridentinum (§. 98.) debitum honorem et venerationem imaginibus impertiendam esse statuit, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae: vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quae in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur; Ergo etc. Tandem: Imago Regis, quia Regem repraesentat, cultu civili digna est; Ergo et imagines Sanctorum, quia Sanctos repraesentant, cultu religioso venerandae sunt.

Dices. Gentiles reprehenduntur, et idololatriae habentur, quia statuas, atque Imagines sive ex lapide, sive ex auro, sive ex ære, argento, vel alia materia, opera manuum hominum formatas, adora-

bant; Ergo et Christiani reprendendi sunt quia imagines adorant. Adeoque etc.

§. 745. R. Jure Gentiles reprehenduntur ut idolatræ; nam ipsi imagines, atque statuas cultu latriæ venerabantur, putantes eas esse vere Deos. Nos autem non sic. « Apud nos, ait Euthymius (Ad » Psalm. 134.) sunt Sanctorum imagines, quae et » aurum et argentum sunt, et opera manuum homi» num, verum enim vero idola non sunt: quoniam » idolorum quidem primae species, ac prima eorum » argumenta falsa sunt: fabulae nimirum, quae nulla » rei veritate subsistunt. Deos etenim sibi adscribunt » Gentes, qui Dii non sunt, sed Daemones sibi falso » divinitatem arrogantes. Verum Sanctorum nostro» rum imagines, primas suas species veras habent, » ac prima eorum argumenta vera sunt: quoniam » secundum veram historiam vere id fuerunt, quod » appellantur ». Ultraquamquod Sanctorum formae, et imagines non adorantur a nobis ut Dii, vel ut aliquid virtutis in eis reperiri credamus, quo venerationem et cultum mereantur, sed quatenus Sanctos repraesentant, qui honore digni sunt. Nec etiam eas adorantes, intelligimus adorare imaginem materialem ligneam, argenteam etc., sed Sanctum, qui tali imagine repraesentatur. Non ergo Christiani adorantes Sacras imagines reprehendendi sunt uti Gentiles.

PROPOSITIO VI.

Sacræ Imagines eodem cultu venerandæ, sunt, quo earum exemplaria, sive prototypa, respectivo tamen, non absoluto.

§. 746. Prob.: Imagines Sanctorum non coluntur propter intrinsecam supernaturalem excellentiam; nullam namque hujusmodi habent, cum sint sudstantiae materiales; Ergo coluntur propter habitudinem, et relationem quam habent cum Sanctis quos repræsentant; sed talis cultus est relativus, non absolutus; Ergo etc. Praeterea cultus qui datur Imaginibus refertur ad prototypa; Ergo eo cultu venerandae sunt imagines, quo prototypa venerantur, cultu tamen respectivo. Quare cultu latriæ respectivae venerandæ sunt Imagines SS. Trinitatis, et Domini nostri Jesu Christi; cultu hyperduliae respectivae Imagines BB. Virginis Mariae; et cultu duliae respectivae SS. Angelorum, aliorumque Sanctorum imagines.

FINIS TOMI II.

TOMI II. INDEX.

TRACTATUS I.

TRACTATUS.

TRACTATUS III.

TRACTATUS IV.

TRACTATUS V.

ERRATA CORRECTA

Pag. 3. v. 10. sposo, *lege*, sponso. *Pag.* 4. v. 13. *jurisdicundi*, lege, *jurisdicendi. Ibid.* v. 20. *quac*, lege; *quae. Pag.* 7. v. 12. indiscerete, *lege*, indiscrete. *Pag.* 9. v. 8. *Eccles:ae*, lege, *Ecclesiae. Pag.* 10. v. 5. *pruedicata*, lege, *praedicate. Pag.* 15. v. 12. *Bahyloniam*, lege, *Babyloniam. Pag.* 17. v. 26. *dele* se. *Pag.* 18. v. 12. *dele* mo. *Pag.* 19. v. 4. scibens, *lege.* scribens. *Pag.* 20 v. 14. subendos, *lege*, subeundos. *Pag.* 21. v. 13. *Poattifex*, lege, *Pontifex. Pag.* 24. v. 32. argnmentum, *lege*, argumentum. *Pag.* 30. v. 9. ab Ecclesiae, *lege*, ab Ecclesia. *Pag.* 35. v. 11. testimonis, *lege*, tesimoniis: *Pag.* 42. v. 5. auchtorem, *lege*, auctorem; *et ita semper sine* h. *Ibid.* v. 21. Evsristius, *lege*, Evaristus. *Pag.* 43. v. 36. Grecus, *lege*, Graecus. *Pag.* 45. v. 23. elec-, *lege*, ele-. *Pag.* 46. v. 23. Sardinism Insulsam, *lege*, Sardiniae Insulam. *Pag.* 49. v. 7, circonvolatus, *lege*, circumvolutus. *Ibid.* v. 15. in N. namquam, *lege*, numquam. *Ibid.* *v. ult:* esset, *lege*, essent. *Pag.* 51. v. 36. XXXII. *lege*, XXXVII. *Pag.* 52. *v.* 6. Ecclesiasticum, *lege*, Ecclesiasticam. *Ibid.* v. 29. Catedram, *lege*, Cathedram. *Pag.* 54. v. 26. educabuis, *lege*, educatus. *Ibid.* v. 28. aut-, *lege*, au- *Pag.* 55. v. 33. libertatis, *lege*, liberalitatis. *Pag.* 58. v. 4. substinnisse, *lege*, substinuisse. *Pag.* 53. v. 11. currumperent, *lege*, corrumpeut. *Pag.* 60. v. 30. quudruplum, *lege*, quadruplum. *Pag*: 61. v. ult: acntiam, *lege* cantiam. *Pag.* 66. v. 25. haereticornm, *lege*, haereticorum *Pag.* 67. v. 18. precise, *lege*, praecisa. *Ibid.* v. 14. referet, *lege*, refert. *Pag.* 68. v. 20. LXLV. *lege*. LXLVII. *Pag.* 72. v. 32. fomosum, *lege*, formosum. *Pag.* 75. v. 23. CXXXIIX. *lege*, CXXXIX. *Pag.* 77. v. 19. quinquemio, *lege*, quinquennio. *Pag.* 78. v. 30. palinoniam, *lege*, palinodiam. *Pag.* 82. v. 24. Pre-, *lege*, Fre- *Pag.* 83. v. 7. Preatus, *lege*, creatus. *Pag.* 87. v. 16. fuctus, *lege*, functus. *Pag.* 88. v. 11. Perusimo. *lege*, Perusino. *Pag:* 89. v. *in N.* Libertati, *lege*, Liberati. *Pag.* 90. v. 4. ducantes, *lege*, ducentium. *Pag.* 92. v. 18. seperantur *lege*, separantur. *Pag.* 93. v. 1. sum, lege suam. *Pag.* 100. v. 26. pocularem, *lege*, peculiarem. *Ibid.* v. 30. internoceratur, *lege*, internosceretur. *Pag.* 101. v. 32. Pontifactus, *lege*, Pontificatus. *Pag.* 106. v. 9. Pontificium, *lege*, Pontificum. *Ibid.* v. 27. crudita, *lege*, erudita. *Pag.* 109. v. 15. preclarus, *lege*, praeclarus. *Ibid.* v. 27. effectus, *lege*, affectus. *Pag.* 110. v. 8. cogiant, *lege*, cogitant.

Pag. 125. v. 11. Concilum. *lege*, Concilium *Pag.* 127. v. 14. *psaeberent*, lege, *praeberent*. *Pag.* 128. v. 24. Spiriritu, *lege*, Spiritu. *Pag:* 130. v. 1. *Pontifici*, lege, *Pontificis*. *Pag:* 132. v. 6. *nesciemnt*, lege, *nescierunt*. *Ibid.* v. *ult.* Generali, *lege*, Generalia. *Pag.* 133. v. 22. il, *lege*, in. *Pag.* 139 v. 7 Patrrm, *lege*, Patrum. *Pag.* 140. v. 25. *nnnt*, lege, *nunt*. *Ibid.* v. 31. *subministant*, lege *subministrant*. Pag. 143. v. 20. fuisse, *lege*, fuisset. *Pag.* 146. v. 22. litas, *lege*, litatis. *Pag.* 147. v. 31. Concilum, *lege*, Concilium. *Pag.* 149. v. 4. essset, *lege*, esset. *Pag.* 154. v. 10. *raciocinatur*, lege, *ratiocinatur*. *Pag.* 158. *mae*, lege, *meae*. *Pag.* 163. v. 25. v. 27. venalia, *lege*, veniale. *Pag.* 174. v. 20. aliquibas, *lege*, aliquibus. *Pag.* 184. v. 24. *sitent*, lege, *sitient*. *Pag.* 185. v. 28. petransibat, *lege*, pertransibat. *Pag.* 188. v. 28. *strepitunque*, lege, *strepitumque*. *Pag.* 189. v. 34. aetaerna, *lege*, aeterna. *Ibid.* v. ult. *finerna:* *lege*, inferna. *Pag.* 198. v. 29, me-, *lege*, mo-. *Pag.* 185. v. 22. prraecipua, *lege*, praecipue. *Pag.* 196. v. 30. *Spiritus*, lege, *spiritus*. *Pag.* 198. v. 23. justitae, *lege*, justitiae. *Ibid.* v. *ult.* pcecatis, *lege*, peccatis. *Pag.* 202. v. 18. *ricordabor*, lege, *recordabor*. *Pag.* 207. v. 5. supes, *lege*, super. *Pag.* 210. v. 22. *propritiatio*, lege, *propitiatio*. *Pag.* 216. v. 31. bsalphemara, *lege*, blasphemare. *Pag.* 217. v. 1. matata. *lege*, mata. *Pag:* 219. v. 14. expressisserunt, *lege*, expresserunt. *Pag.* 221. v. *ult:* disceeunt, *lege*, discedunt. *Pag.* 232. v. 9. lautrauticum, *lege*, latreuticum. *Ibid.* v. 24. *Innoctntiae*, lege, *Innocentiae*. *Pag.* 238. v. 18. *eosumavit*, lege, *consumavit*. *Pag.* 244. v. 6. intcrest, *lege*, interest. *Ibid* v. 19. *dissidenter*, lege, *dissidentes*; et pro *invicem*, lege, *invicem*. *Pag.* 246. v. 2. *qai*, lege, *qui* *Pag.* 250. v. 29. inirmi, *lege*, Infirmi. *Pag.* 256. v. 20. adorandum, *lege*, adorandam. *Pag.* 260. v. 16. qni, *lege*, qui. *Ibid.* v. ult. brum, *lege*, brorum. *Pag.* 261. v. representandum, *lege*, repraesentandum. *Pag.* 270. v. 18. Chanaam, *lege*, Chanaan. *Pag:* 272. v. 12. ed, *lege*, et. Pag. 273. v. 2. *reliqaiis*, lege, *reliquiis*. *Pag.* 281. v. 16. iis. *lege*, viis. Pag. 283. v. 3. Idolatrae, *lege*, idololatre. Pag. 284. v. 6. sudstantiae, *lege*, substantiae, Pag. 285. v. 26. *Poutifex*, lege, *Pontifex*; *Pag.* 288. v. ult: *conflagationis*, lege, *conflagrationis*. *Pag.* 294. v. 1. *Sanctorum*, lege, *Sanetarum:* *Ibid.* v. ult. *venerandae*, *sunt*; *quo*, lege, *venerandae sunt*, quo.